

IACOBI FABRI STAPV

LENSIS IN EPISTOLAM CANONICAM

IACOBI COMMENTARIVS.

CAPVT PRIMVM.



1 ACOBVS, dei & domini nostri
2 IESV CHRISTI seruus, duo-
decim tribubus, quæ sunt in di-
spersione, [salutē] Omne gau-
diū existimate fratres, cum in ten-
tationes uarias incideritis, sciētes

3 quod probatio fidei uestræ [patientiā] operatur.

4 [Patientia] autē, opus perfectū [habet:] ut sitis

5 perfecti & integri, in nullo[deficiētes.] Si quis
autem uestrum [indiget] sapientia, postulet à deo
qui dat omnibus[affluenter,] & nō improperat; et
dabitur ei. Postulet autē in[fide,] nihil hæsitans.

6 Qui em̄ hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento
mouetur & [circumfertur.] Non[ergo] existimet
homo ille quod [accipiat] aliquid à domino. Vir
[duplex animo,] incōstā est in omnibus uijs suis.

7 Glorietur autē frater humilis in exaltatione sua:
dives autem, in humilitate sua: quoniam sicut flos
[feni] transibit. Exortus est enim sol cum ardore, &
arefecit [fenū,] & flos eius decidit, & decor uultus
eius deperiit. Ita & dives in[itineribus] suis marce-
scet. Beatus uir qui[suffert] temptationem, quoniam
cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ quam

8 [repromisit deus] diligentibus se. Nemo cū ten-
tatur dicat, quoniam à deo[tentatur.] Deus enim,
intentator malorum est. Ipse autem neminem ten-
tat, unusquisq; uero tentatus[à concupiscētia sua ab-
stractus & illectus.] Deinde concupiscētia cū con-
ceperit, parit peccatū. Peccatum uero cum consum-
matum fuerit, generat mortem. Nolite itaq; errare

9 fratres mei [dilectissimi.] Omne[datū optimū,]
& omne donum perfectum, desursum est, descen-
dens à patre lumen, apud quem nō est transmu-
tatio, [nec uicissitudinis] obumbratio. [Voluntarie
em̄] genuit nos uerbo ueritatis, ut simus [initium
10 aliquod creaturæ eius. Scitis] fratres mei dile-

ANNOT.

gaudere, χαίρειν.

patientiam, expectationē,
ὑπομονή. & infra.

imperative, ἐχέτω.

λαπόμενοι.

destituitur, λείψεται.

pure, simpliciter, ἀπλῶς.

id est, fiducia.

dissflatur, impetu rapitur,
ξιστόμενοι. enim γρ.
λικέται, accepturus sit.
duplici animo, biaminis
διπλοχος.

graminis χόρτος,
& infra.

abundantijs, copijs
τοῦς πορίους.
ὑπομένει.

promisit dominus,
Ἐπηγέλατο δύκυρος.
tentor, τειράζομαι.

dum à concupiscentia sua
abstrahitur & inescatur,
ἔξελκόμενος οὐχίδεος
λειχόμενος.

admodū dilecti, & infra
ἀγαπητοί. donatio
bona, δόσις ἀγαθή.

aut mutationis, cōuersatio-
nis, ἡ γοτθή.
Cū uoluit, βοληθείς.
primitiae quedam creatio-
rarum eius. Quare.

Etissimi. Sit autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri, iustitiam deinō operatur. Propter quod abijcentes omnem [immunditiam & abundantiam] malitia, in mansuetudine suscipite [insitum] uerbū, quod potest saluare animas uestras. Estote autem factores uerbi, & non auditores tantū, fallentes uosmetipos: quia si quis auditor est uerbi, & nō factor, hic comparabitur uiro consideranti uultum nativitatis suae in speculo. Cōsiderauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexit in lege perfectae libertatis] et permāserit [in ea,] non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, + non refrenans linguam suam, sed seducens cor suū; huius uana est religio. Religio munida & immaculata apud deum & patrem, hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire [ab hoc seculo.]

ANNOT.

ἀπαρχήν οὐνα τὸν τόπον
κτισμάτων. ὡς.

sorditatem & superfluitatem
ἐν παραγόντες περισσεῖον.
innatum, ἐμφυτον.

in legem perfectam, qua
est libertatis, τὸν νόμον
τέλεον, τὸν φρεσκόν
γίας. sic, οὐτος.
+ inter uos, ἐμμῆτρ.

à mundo, επει τὸ κόσμος.

COMMENTARIUS IN PRIMVM CAP.



AC O B V S apostolus, quem ideo dico apostolum, quod Græce tūlū in librīs manuscrīptis legerim, ἐπισολὴ τὸ ἀγίον ἀποστόλον ianōbō, & sic etiam in uolumine Græco Venetijsexcuso habet. Sic habet & argumentum latīnum. Ob id insuper quod hæc epistola huic Iacobō adscribitur, qui frater domini, & Hierosolymorū episcopus fuisse dicitur, quem & Paulus Gal. 1. fuisse Apostolum testatur, cum de Petro loquens ait: Alium autem (à Petro uidelicet) apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini. Et eundem ibi inter eos qui uidebantur columnæ esse ecclesiae, annumerat. Hic inquam Iacobus apostolus hanc epistolā quæ καθολική, id est, uniuersalis, quod ad uniuersam Christi pertineat ecclesiam, appellatur, dirigit ad omnes, præsertim ad Iudæos duodecim tribuum, per uarias regiones dispersos, illasq; inhabitantes. Qua autem ratione, quibusue de causis dispersi fuerint, & illas inhabitarint, missum faciamus, qui nihilominus iam sanctam fidē domini nostri IESV CHRISTI receperant. Quos & hoc pacto sancte salutat:

Iacobus dei & domini nostri IESV CHRISTI seruus: duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.] Eis optat eam salutem, quæ est gaudium, actusq; gaudendi: nam id importat uocabulū χαρά, id est, gaudere: quo eos salutat. Sed quo gaudio: quóue actu gaudij eos spiritualis apostolus, salutis loco impariret, nisi spirituali gaudio, quod est gaudium spiritus in domino: De quo, dominus totius gaudij largitor, ait: Iterum autem uidebo uos: & gaudebit cor uestrū: & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et Paulus ad Philippeenses: Gaudete in domino semper. Hoc igitur spirituali gaudio, illos salutat, optatq; gaudere, nō in prosperis modo, uerum multo amplius in aduersis quæ illis occasione fidei, creberimæ emergere solebant. Contra, quæ epistola apostolica merito roborandi, conuentandi & confirmandi erant. Proinde subiungit;

Ioannis 16.
Philip. 4.

Omne

2. Omne gaudium existimare fratres mei, cum in tentationes uarias incideritis, scientes quod probatio fidei uestrae, patientiam operatur.] Tentationes in quas illa tempestate incidebant Christiani, uariæ erat afflictiones, Quibusdam em̄ excitatabantur seditiones, quibusdam bona diripiebantur t̄ alij libertates auferebatur, alijs carceres & mortes intentabatur, & id genus innumera, ad hoc ipsum, ut ipsi fidem abnegare cogeretur. In quibus omnibus uel maxime gaudendū erat exemplo apostolorum, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU COTUMELIA pati. Et quis etiā nunc est uerus CHRISTI amator, ut & illa tempestate erant quam plurimi, qui si sciret se pro CHRISTI fide ad tribunalia trahi, & ad extrema etiam mortis supplicia, qui non gauderet, & maiore quidē gaudio in spiritu quam alijs unquam, licet illi prospera adfuerint quam plurima. Et quid mirum? Quia non usqueadè in prosperis fides cuiusquam probata cōspicitur, ut in aduersis. Nam si tentatur quispiam blanditijs fortunæ à fide auocari, & fidelis persistat; & alius minis, terroribus, & omni aduersitate, qui similiiter fidelis persistat, huius ē illius fides probatior, testatorē est. At, quid hæc probatio fidei operatur? Nimirum patientiam, animi tranquillitatem, & certā diuinarum promissionum expectationē, qua aduersa quæc pro fidei integritate, cū gaudio spiritus tolerantur. & id multo eminentius magnanimitate, animi cōgnitudine, quam quidam philosophi probare solent. Imò hæc patientia diuine magnanima est (animos adjiciente, faciente cōspicere spiritu CHRISTI) aduersorum toleratio, & probatæ fidei certissimum argumentum, dicente Paulo: Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationē, probatio uero spem. Nam si in aduersitatibus pro fide tolerandis patientiam demas, fides infirma est & inualida, probationem non sustinens. Quæ si adsit, firma est & proba, secum firmam, uelut anchoram in cœlestibus fixam, trahens in deo spem totamq; fiduciam. Patientia, externa respicit & uisibilia: spes et fiducia, interna & inuisibilia. Verum hæc tam pulchra patientia secum habens fidei probationem, & spem tota fiducia deo ha-rentem, minime languens esse debet & ociosa, sed sibi adiungere opus perfectū, quod est diuinæ charitatis opus, & quæ scripturis exprimitur, diuinæ uoluntatis impletio. Ideo subiungit Iacobus apostolus:

3. Patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficienes.] Opus perfectum, est charitatis opus, & diuinæ uoluntatis impletio, quæ legi gratiæ exprimitur, & incipit à fide, dilectionem dei & proximi, amicorum & inimicorum præcipiens, quæ est supra nos. Quomodo enim deum diligeres, etiā supra te, & inimicos ac persequentes, nisi fidē haberet, spíritumq; fidei. Et quia ilud opus sine intelligentia diuinæ legis, quæ sapientia hic nominatur, perfici non potest, posset quispiam dicere: Fidem habeo, & patientiam, neque spe destituo, simplex tamen idiotes & insipiens, legem non intelligo. Quo modo igitur fidei, patientiæ, cui spes annexitur, opus perfectum adiungam, ut perfectus sim & integer? Nam si fidem, patientiam, & spem habeam, opus autem perfectum non habeam, aliquid mihi deest ac deficit, & nōdum integer sum, quare etiam neq; perfectus & absolutus. Ideo à quo hæc perfecti operis gratia sit obtainenda, subiungit Iacobus dicens:

4. Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Hæc sapientia, hæc diuinæ uoluntatis intelligentia, hic scripturarum spíritus, non à nobis est, non ab hominibus, sed perinde ac fides & spes diuinum munus est. Et ideo cum deest, à deo est petendus, qui tantæ bonitatis est, ut omnibus potentibus det (ut hic dicit) ἐπλῶς, id est, simpliciter, pure, libere, nulli donū suum improperans. Simpliciter autem dat, propter

Cap. I. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

seipsumq; bonum, & solum bonum omnium & eorū quibus dat: ut fide, spe, charitate, opere bono, perfectoq; omni ex parte in ipso & per ipsum euadant eos summati. Qui autem dant nō ad bonum eorum quibus dant, & propter deum qui est uere bonus, non simpliciter dant, & frequenter donum improperare solent. Sed quomodo hæc sapientia à deo petenda sit, subiungit dicens:

Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui à uento mouetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid à domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus uis suis.]

Sí quis in fide hæsitat, id est, de deo diffidit in hoc quod petit, petens, nihil asseretur, quia non digne postulat, duplex animo est, petendo fiduciam, hæsitando autem, diffidentiam ostendens, & fluctuat animo hinc inde uacillans, & inconstans. Et proinde similis fluctui maris, qui huc illucq; rapitur, quoctūq; uentus impulerit, incertus, vagus, & instabilis. Et fides, hoc in loco pro fiducia capi uide, ut passim in euangelio, cum dicitur: Fides tua te saluum, aut saluam fecit. Verutamen hæc fiducia, sine credulitate non est, quæ etiam fides nominatur, sed nō est perfecta, nisi etiam adsit perfecta fiducia. Et hoc est signum perfectæ fidei, quæ charisma & donum est spiritus, cum plena adest in deum fiducia: cum autē non adest plena, sed hæsitabunda & fluctuans, imperfecta est fides, & humana, quam homo, non spiritus operatur. Et ideo si patientiam, charitatem, sapientiam, aut quicquā talium à deo petamus, plenam fidem, id est, fiduciam habeamus in eo, quia eius est, etiam solius, hæc munera dare: & dabit si digne petimus, si nobis expedit, & si ad recipienda sua dona sumus apti. Si enim dare nolle, non diceret: Petite, & dabit uobis; quærите, & inuenietis; pulsate, & aperietur uobis. Ipse uerax est in promissis, quem si talē esse uiva fide credimus, fiet nobis quod petierimus. Et cum multa fiducia bonitatis diuinæ, non nostræ sufficietia, petere debemus, alioqui digni repulsa, audire possemus: Nescitis quid petatis. Et proinde sic semper plena fide petendū est, ut nō nostra, sed uoluntas eius fiat. Et si fiat quod uolumus, non quia uolumus, petere debemus faciemus, sed quia uult. Et in quo fidelibus gloriantur, & animo exultandum sit, subinde monstrat Iacobus, dicens:

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos foeni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, & areficit foenum, & flos eius decidit, & decor uultus eius deperiit. Ita & diues in itineribus suis marcescet.] Pauper fidelis, patienter ac uoluntarie pauper, tanquam ex manu dei & prouidentia paupertatem accipiens, est pauper spiritu, & exaltatus iam Matthæi 5. est, quia scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et in hoc ipso glorietur, animoq; exultet, quod imitator est paupertatis

CHRISTI, qui cum diues esset, propter nos pauper factus est. Et hæc paupertas, hæcq; uoluntate ac spiritu CHRISTI imitatio, uere est exaltatio. At contraria, fidelis diues non hoc ipso quod diues est, glorietur, sed magis in humilitate sua, si ablati diuitijs seruet patientiam, sitq; pauperis CHRISTI uere æmulus. Nam ut à terrenis depressio, est ad deum exaltatio, ita ad diuitias exaltatio, est à deo depressio. Pugnant ex opposito, cœlum terra, paupertas diuitiæ, æterna caduca, deus mundus, exaltatio ad deum exaltatio ad mundum, depressio à mundo, depressio à deo. Si terram amas, cœlum perdis: si diuitias, paupertatem CHRISTI æmulam: si caduca, æterna: si mundum, deum: si exaltationem ad mundum, exaltationem ad deum. Si odis deprimi à mundo, amas deprimi à deo. Proinde infelices sunt diuites qui gloriatur in diuitijs suis, quibus potius esset lugendum, ut qui pro bonis caducis omnium uere bonorum iacturam fecerunt, & quod superest, cito sicut flos agri pertransibunt. Et qui eiusmodi sunt, firmam fidem non habent, quandoquidem tem-

pore

pore temptationis succumbunt. Cui igitur adiunt diuitiae, illis ad opera bona utantur, & cor suum eisipsis habitis non amplius apponat, quam non habitis. Imo sibi magis timeat possidendo quam carendo, ut si tempus probationis adueniat, possit inueniri fidem habere probatam, & esse de numero eorum, de quibus subdit Iacobus apostolus:

Beatus vir qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitae, quam repromisit deus diligentibus se.] Non sufficit fides, & patientia, ut uictor temptationum, immortalitate coronetur, nisi affuerit dei charitas ac dilectione; nam illam immarcessibilem coronam, non fidem habentibus, non patientiam, promittit, sed diligentibus se. Magna est fides, magna patientia, magna spes; sed maxima est charitas, quae omnia illa secum trahit & colligat, quae omnia perficit ac consummat, non autem contraria. Studeamus ergo sancto & iugis ad deum de siderio, ab eo obtinere fidem, & talem quidem fidem, quae si opus fuerit, etiam tentatione probari possit. Studeamus item obtinere & spem, sed maxime omnium divinam charitatem: quandoquidem qui charitatem illam habet, habet omnia, & illi promissa est uincenti in temptationibus corona. Et haec temptationes, de quibus haec tenet usus Iacobus apostolus, & proborum & iustorum sunt, quae & uoluntate dei obueniunt, ut iij qui probantur, sanctiores, purgatores ac preciosiores evadant, perinde atque uoluntate artificis probatur in fornace aurum, ut inde splendens, purius ac sincerius extrahatur. Nunc autem de alijs quae in proborum sunt & malorum, subiungit Iacobus, dicens:

Nemo cum tentatur, dicat quoniā à deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Vnusquisque uero tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errorare fratres mei dilectissimi.] Tam bonis quam malis prospera largif deus, non ut sollicitet ad malum, quod hic tentare dicitur, sed ut bonitatis eius diuitias percipientes, fidant in eum, diligent, gratias agant, & inde salutem consequantur & uitam. Etiam tam bonis quam malis aduersa immittit, nō ut tentet sollicitetque ad malum, quod est peccatum, sed ut probet, id est purget, ut igne purgatur aurum, & ad se qui puritas & sanctitas est, attrahat. Non ergo huiusmodi temptationum solicitationumque ad malum in proborum iniustorumque, deus autor est, et si permittat eas fieri, sed qui fide, spe ac charitate destituti sunt, aut exigua admodum fide, spe & charitate in deum sunt: talibus, cum sint debilissimi, solae carnis concupiscentiarumque illecebrae sufficiunt ad temptationem. Nam non gratia, ut spirituales, sed concupiscentijs ut bestiae uiuunt. Sunt sola caro & uetus homo, & nequaquam spiritus & noua in CHRISTO creatura, cui omnia cooperantur in bonum, & in illis non ratio, nō uoluntas sensum (quod si etiam esset, sine spiritu nihil prodeisset) sed ut plurimum sensus, uoluntatem secum trahit, & corpus animam mortuam; haud secus ac nauis in medio pelago nauclerum mortuum. At in quibusdam non sola concupiscentia tentat, sollicitat & allicit ad peccandum, sed malignus ea adiutus, se interserit, & plerunque inducit ad peccandum, atque uincit. Et nonnunquam tentando praeuenit concupiscentiam, eamque excitat; ut & forte in prima matre Eva. Nā priusquam malignus qui est serpēs antiquus, ei dixisset: Scit enim deus, quod in quaunque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestrī, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Non legitur fructum ligni uetiti prius concupisse, sed continuo post, ut subiungitur: Vedit igitur mulier quod bonum esset lignū ad uescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Sic igitur malignus tentando praeueniens, eius appetitum excitauit, quo usus

Gen. 3.

Cap. I. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

est ut instrumento ad fallendum & perdendum genus humanum, qui & in fonte corruptus, concupiscentia dicitur. Nonnunquam etiam tentatio sequitur concupiscentiam, ut in Iuda proditore concupiscētiam avaritiae sequuta est tentatio maligni, ut ipse proderet dominum suum, quo sibi, opinione sua resarciret damnum unguenti effusi. Cœna (inquit) facta, cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes. Et ij qui à maligno tentantur, habent adhuc animæ nonnihil uiuum. De mortuis autem & debilissimis, non est maligno curæ ut tentet eos: nam ipsi, sibi ipsi ad perditionem sufficiunt. Unde sit, ut cum homo hominem, siue uirum siue mulierem ad peccandum tentat, uice fungatur dæmoniorum: cum autem oppositum facit, impedimentum est ne ruat in peccatum, partes agat honorū angelorum. At quid est: Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum consummatū fuerit, generat mortem? Concupiscentia radix, fomes est peccati omnibus à protoplastis insitus, nisi quem deus liberabit, qui & concupiscentia dicitur, & originale peccatum. Concepit autem concupiscentia, cum eruptura est in actum. Parit autem, cum exit in actum, qui peccatum est non originale, sed ex originali actuale. Consummatur autem peccatum, cum illi uoluntas consentit, quod & plerique in opus ipsum externum egreditur: sed nihil refert, egrediatur uel non egrediatur, consentiente uoluntate, peccatum consummatum est, dominatur & regnat. Sed si non consentit, sed spiritu suppressum et mortificat uenenatum somnis concupiscentiæ partum, peccatum non imputatur, neque dominatur, neque regnat. Quapropter qui fidē, qui patientiā, qui spem, qui charitatē in temptatione retinere cupit, & esse dei amicus, oret ut concupiscentiam spiritu mortificet. Hæc sapientia à deo in fide petenda, & nō modo insultus temptationesque maligni facile superabit, uerū in illis exultabit uictor, insultantemque ridebit. Mortificatio enim, generose uolentibus uenire ad uitam, necessaria est: & hæc est dei munus. Concupiscentia autem, noxia, & hæc parentum, & nostrum est opus. Quapropter sanctus dei apostolus nos solicite adhortat ne erremus, ne peccemus, quod maxime fit ratione cōcupiscētia. Nos enim allicit, illectat & inescat ad peccandum. At dices: Difficile est illecebras illas fugere, & concupiscentias ne erremus, ne peccemus mortificare, insuper & insultus tentantis reprimere. Verū id est. Et id à nobisipsis posse, impossibile esse intelligere debemus. Nā id (ut diximus) dei munus est, & quanto perfectius, tanto ab eo peculiarius. Et proinde subiungit Iacobus apostolus:

9 » Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre lumen, apud quem nō est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. » Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.] Cum fides, spes, charitas, concupiscentiarum mortificatio, cum qua maneat spiritus, ut cum cōcupiscentia caro, patris lumen sit munus è sursum in nos emanans & descendens, semper in omnibus operibus bonis & perfectis, ab eo pendere debemus, & nobisipsis nihil trahi, à nobis nihil sperare. Quid enim sumus ex nobisipsis, nisi fomes peccati, à quo quis quid speret? Sed à patre lumen omnia, qui nos etiam ingratos suis fœcundat gratijs: sicut terra arida imbre non à se, sed è sursum solum expectat, è sursumque fœcundatur. Patrem dico talium beneficiorum uidelicet lumen, quæ transmutationem nullam sentiunt unquam, nec uicissim ab illa benefica, immo omni benefica luce, tenebras malitiæ, aut obscurationem ullam more sensibiliū lumen unquam tantillum admittunt, sed coæterna patri lucent intransmutabiliter & intermine. Et hæc (si uolumus altius surgere) sunt pater, uerbum, spiritus sanctus. Pater, pater lumen dicitur: nō quod genuerit lumina, sed quod sit inter lumina pater. Ipse pater, lumen ingenitum. Verbum,

bum, lumen unigenitum. Et (sicut canit ecclesia) lumen de lumine, deus uerus deo uero, Spiritus sanctus, lumen post filium ad nos, patris miseratione missum, missum item & à filio. Quomodo ergo apud patrem luminum, esset luminū transmutatio, & uicissitudine tenebrarum aliqua obumbratio? cum etiam dicat Ioan-
nes, deus lux est, & in eo tenebrae non sunt ullae. Data, et optimæ donationes, sunt
horum luminū beneficæ in nos manantes participationes, omnes tamen in pa-
trem, tanquam in fontanam luminū originē referuntur. Et quia hæc optimarū
dationū & perfectorum donorū munia, ab illo summo patre luminū sunt, de se-
ipso Iacobus ipse & alijs apostolis, & subinde de nobis testatur, dicens ipsum sum-
mum patrem, uoluntate propria, et cum ipse uoluit, genuisse eos uerbo ueritatis,
quod est paternum lumen, id est, à patre, & uera lux quæ illuminat omnem homi-
nem uenientem in hunc mundum. Sic & omnes subinde fideles ad finem usque
mundi. Sed qua generatione? Generatione certe spirituali, qua effecti sunt sicut
filii dei. Nec mirum. Nam non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex
uoluntate uiiri; sed ex deo nati sunt. Et ad quid natūrātūtē sp̄iritus? Ad hoc
sanè ut essent quædam primitiæ spiritualium creaturarum dei, quibus sunt succe-
dentes aliaq; in annos deo primitiæ fideles omnes, nō carnaliter, sed spiritualiter
uiuentes, non secundum carnem & concupiscentiam ambulantes, sed secundum
spiritum & gratiam ad cōsummationem usque mundi. Nos ergo sumus quoddā
initium & primitiæ spiritualis creaturæ dei, sed succedentes: ipsi uero apostoli &
discipuli, quorum oculi beati qui uiderunt non solum in terris, sed pleniore fide et
spiritu, interiori oculo filium dei, ipsi præcedētes primitiæ & omnino primæ fue-
re. Quapropter iustum est, nos ab ipsis præcepta illius spiritualis uitæ percipere.
Pergit itaq; Iacobus apostolus, successores illius uita Iudeos, & nos in ipsis insti-
tuere, dicens:

10 „ Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo uelox ad audiendum,
tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiiri, iustitiam dei nō ope-
ratur. Propter quod abiçientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ:
in mansuetudine suscipite insitum uerbum, quod potest saluare animas uestras.]
Ad quid audiendum debet omnis homo esse uelox? Ad quid nam, nisi ad percipi-
endum id quod ad illam facit nouam, spiritualem, & diuinam generationē? quod
est uerbum dei, uerbum fidei & euangelicum sincere pureq; annunciatū. Et qui
audit, sit tardus ad loquendū, sed in silencio cum mansuetudine suscipiat quod in-
fundit, seminat, inserit deus uerbum; quod saluare potest animas posteaquam fue-
rit int̄imis penetralibus mentis eorum fide receptum, insitum, ac firmiter planta-
tum. Quod etiam ubi admissum fuerit, nō sit præcepis ad loquendum, ad se se alijs
præceptorem exhibēdum: sed sp̄iritus expectet impulsum, qui solus fidelium, &
in ipsis fidelibus uerax præceptor est. Et ut ipsum uerbum quis suscipere aut dif-
fundere possit, summopere caueat ab ira necesse est, quæ iustitiam dei non opera-
tur, id est, perficit atq; implet quæ quidem iustitia est legis gratiæ, legis huius no-
uæ & spiritualis uitæ: & non solum tardus sit ad iram, eamq; uitet, sed & omnem
concupiscentiæ foeturā malam, quæ nihil aliud est quam quoddam uirus maligni
sordes & superfluitas nequitia, ex prima generatione contractæ. Sed non sat est
discipulis, & ad uitam spiritualem uenientibus promptos esse ad audiendū quod
inseritur uerbum, iram & concupiscentias primæ & carnalis generationis, & ex
morsu serpentis sp̄inas & tribulos subortos euellere, nisi facto exequantur, quæ
sancta præcipiuntur doctrina. Ideo subnectit hic Iacobus apostolus:

11 „ Estote autem factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uosmetipſos.
„ Quia si quis auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro consideranti

Cap. I. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

» tulum nativitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permiserit in ea, nō auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.]

Verbum, nouum uitæ institutum, & lex noua, quam subinde uocat legem perfectæ libertatis. Nam lex uetus, non erat lex libertatis, sed seruitutis: non erat lex filiorum, sed seruorum. Sed quæpotest esse maior libertas, quam filiorum summe liberi patris? Quæ perfectior, quam filiorum dei? Qui igitur audit hoc uerbum, hanc legem nouam, & non facit quod audit, assimilatur cuiquam contemplanti uitum primæ & carnalis nativitatis suæ in speculo, qui auersus à speculo, statim obliuiscitur qualis fuerit. Sic lex noua est ut speculum primæ & secundæ nativitatis nostræ, quam audiens, contemplatur qualis sit ex prima generatione, caro scilicet, peccatum, exors fidei, filius iræ, uetus homo morti gehennæq; addictus, impotens ad omne opus bonum. Et qualis ex secunda, spiritualis, donatus gratia, fidelis, filius dei, nouus homo, nouaq; in CHRISTO creatura, uitæ restitutus æternæ, eiusq; delicijs per spiritum fidei factus potens ad omne opus bonum. Verum audito uerbo abiens, & non fide per charitatem operans, perinde est ac si quales illæ generationes sint, & qualis olim ipse fuerit, qualis ex auditio dei uerbo esse beat, oblitus sit: immò retiera oblitus est, & uerbum nequicquam & inaniter percutit eius auditum. Estq; de numero eorum, de quibus in parabola seminis, quod est

Matth. 13. uerbum dei, dominus ait: Aliud cecidisse secus viam, & aliud supra petram, & aliud inter spinas. Qui autem auditor est, nō obliuiosus, id est, contemplator pulchritudinis secundæ suæ generationis in lege noua quod est uerbum uitæ, is est operator.

Ibidem. Et is est de quo dicitur: Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Non enim is solum audit, sed eius quod audit, subinde memor per fidem operatur, immò ipse spiritus fidei & uerbi operatur, & multiplicem fructum avertit deo acceptibile. Hoc ipso beatus apud eum, qui nullum bonum, quod ab ipso manat qui est pater luminum, sinit irremuneratum. Sed videat qui eiusmodi expectat à deo mercedem, ut linguam suam frenet à malo, neq; se ullo pacto in

Luce 18. opere efferat aut iactet, aut seipsum glorificet more pharisæi operantis, infrenata lingua se iactantis & dicentis: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omniū quæ possedeo. Nam qui talis esset, uane operaretur, tandem beatitudinis fine frustrandus, non cognoscens spiritus gratiam in se operantem, sed sibi attribuens quod est soli deo & gratiæ eius tribuendum, se existimans aliquid esse cum nihil sit, & seipsum seducens. Quapropter subiungit Iacobus apostolus:

12 » Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum: huius uana est religio. Religio munda & immaculata apud deum & patrem, hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.] Omnis qui fidē CHRISTI profitetur, religiosus est. Et hæc sola uniuersalís, spiritualis, diuina, deo accepta, & altissima est religio. Et qui huiusmodi religiosus est, qualis est quisq; uerè fidelis: nihil uanum habere debet, neq; audiendo, neq; loquendo, neque operando. Alioqui hæc aut aliquid eorum habens, se putans religiosum fidelemq; esse, seipsum animamq; suam falleret atq; deciperet. Et hæc religio, in sola fide IESU CHRISTI quæ par charitatem operatur, sita est. Nam in hac, qui diligít, legem impleuit, legē dico CHRISTI & perfectæ libertatis. Verum hæc dilectio nō secundum carnem, sed à gratia & spiritu profecta esse debet. Et si omnia huiusmodi fidei opera deo grata sunt: nonnulla tamen opera sunt in hac spirituali religione deo admodū accepta: quorum hic adducit apostolus aliqua, ut cum uisitantur pupilli & uiduæ in tribulatione sua. Et hæc dici solent, opera misericordiæ, quæ plenius enumerantur apud Matthæum,

Matthæū, Cibare esurientes, potare sitiens, colligere hospites, operire nudos, infirmos uisitare, ad incaceratos uenire. Quæ omnia illic de fidelibus dicta sunt, alioqui non diceret dominus: Quando fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et quid est se custodire ab hoc seculo, nisi se incontaminatum seruare ab ihs quæ opera carnis nominant? qualia sunt quæ enumerat Paulus ad Galatas, scribens hoc pacto: Manifesta sunt autem opera carnis, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comesationes, & his similia. Quæ (inquit) prædico uobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur. Ergo uir spiritualis, cuius religio munda & immaculata apud deum & patrem, non adulterium, non fornicationem nouit, non lasciuiam, non in re ulla luxum, non auaritiam, quæ est idolorum seruitus: nec in re ulla aliena à deo spem & fiduciā habens tam in ihs quæ spectat ad uniuersalē prouidentiam, quam etiam in ihs quæ & ad alterius seculi uitæ. Non ueneficiū aut maleficiū ullum nouit, non inimicitias, lites, aemulationes, iras, rixas, seditiones, hæreses, quæ sunt secessus à uerbo dei, & particulares modorum uiuendi præter uerbum dei, sed ex hominum traditionibus electiones, non immundicias, cædes, ebrietates, comesationes: sed omnimodam castitatem, sanctitatem, pudicitiam, frugalitatem, liberalitatem, humanitatem, & quæ diuiniloquus Paulus, opera spiritus enumerat: charitatem, gaudium in spiritu sancto, pacem, patientiam, longanimitatem, bonitatem, benignitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, spem, & hæc, & omnia superiora in spiritu sunt intelligenda, & nō secundum animalē, id est, rationalem hominem, de quo & cuius operibus loquuntur philosophi, quæ & magnificiunt, nos autem hic minime. Quippe quæ ut talia & sine spiritu salvare possint. Quia qui CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitij & concupiscentijs, uerè mortificati mundo & uiuentes deo. Quæ omnia, ut nostra CHRISTI & euangelica religio non uana sit & otiosa, sed sancta & immaculata nobis largiri dignet pater domini nostri IESU CHRISTI super omnia benedictus, pater æternorum luminum, & largitor datorum perfectorum & donorum optimorum. Cui cum filio & spiritu sancto coæternis luminibus honor, & gloria, & gratiarumactio in uniuersa seculorum secula. Amen.

CAPVT SECUNDVM.

13



RATRES mei, nolite in personarū acceptione habere fidē domini nostri IESU CHRISTI [gloriæ.] Etenim si introierit in [conuentum] uestrum uir aureum annulum habens, in ueste [candida,] introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eū qui induitus est ueste [præclara,] & dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu stā illic, aut sedet sub scabellō pedum meorum: nōnne iudicatis] apud uosmetiplos, & facti estis iudices cogitationum iniquarū? Audite fratres mei [dilectissimi:] Nōnne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit deus diligētibus se:

ANNOT.

gloriæ, opinione, an
ceps, ἀρχή.
cœtu, cōgregationē,
τὴ συναγωγὴ.
fulgida, præclara,
λαμπρῆ. λαμ
πρός.
subscabellum meū, et
non dijudicati estis,
ὑπὸ τὸν πόδιον
με, οὐδὲ οὐ διεργί^{θητε. ἀγαπητοί.}

C

Cap. II. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

Vos autem ex honora stis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt uos, & ipsi trahunt uos ad iudicium? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super uos? Sitamen legem perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis. Si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit & : Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem factus es transgressor legis. Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare eum? Si autem frater & soror nudis sint, & indigeant uictu quotidiano, dicat autem aliquis ex uobis illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus? Bene facis, et dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire homo inanis: quoniam fides sine operibus [ociosa] est: Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est: Et suppleta est scriptura, dicens: Cedidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videntis quoniā ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Similiter & Raab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia uia [eiciens:] Sicut enim corpus sine spiritu, mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est.

COMMENT.

ANNO T
pretoria, forum ius
diciarum negotiis
gico.

scripturam,
τὴν γραφήν.
redargimini,
Ἐλεγχούσετο,
ut, tanquam, ὡς.
enim, ἢ.

iudicandi, μέλλον
τε κρίνεται.
Exultat autem misericordia aduersus iudicium, οὐκ ητας
καυχάται ἔλεος
ηρίσεως.
aut, οὐ.
calescite, θερμα
νεδε.

ex operibus,
ἐκ τῶν ἔργων.
Legit interpres:
ἐκ τῶν ἔργων
mortua, νεκρά.

impta est,
ἐπληρώθη.

cum suscepisset,
ὑπέδεξαμεν.
eiecisset,
ἐκβαλλότα.

COMMENT. IN CAPUT SECUNDUM.

RIUS ostēdit Iacobus apostolus eorū qui lingua frenare nesciūt, religionem uanam esse: uerum non eorum solum uana est, sed & eorum qui ex facie & externis personas acceptāt, ut quempiam ob elegantiam formae, ob diuitias, ob fortunæ splendorē. Similiter etsi pauperem ob personam ipsam præ se ferentem commiserationem. Et id minime spectat ad eos qui habēt fidem domini nostri IESU CHRISTI, qui est dominus totius maiestatis & gloriæ, qui fide & spiritu fideles metiuntur & ex internis, non ex carne & externis. Qua de re ad superiora adiungit Iacobus:

13. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri IESU CHRISTI gloriæ. Etenim si introierit in conuentum uestrum uir aureu anulum habens, in ueste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui induitus est ueste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu sta illuc, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud uosmetipso, & facti estis iudices cogitationum iniuarū? Audite fratres mei dilectissimi: Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Vos autem exhonoraistis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt uos, & ipsi trahunt uos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super uos? Quod ait apostolus Iacobus: Si introierit in conuentum uestrum, id est in cōgregationem; locum intelligit, ubi publica exercentur officia, & Christiana quidem, ut publica uerbi dei annunciatio, sacroru libroru explanatio; aut ubi ius reddēdo iudices, neq; personā pauperis, neq; diuitis iubentur agnoscere, scriptura dicente: Non facies quod iniuum est, nec iniuste iudicabis: non consideres personā pauperis, nec honores uultum potentis. Et qui personam diuitis acceptāt, & pauperē abīciunt; non spiritu fidei, sed sensu carnis id faciunt, qui deo placere non potest. Quin potius cogitare deberent ne id facerent, ipsos diuites per potentiam suā op̄ primere solere pauperes, & ad tribunalia trahere, & infamare bonum nomen, non men inquam domini nostri IESU CHRISTI, quod super eos inuocatum est; spernendo mandata eius & charitatem quam præcepit uisitado. Cæterū, deum ipsum elegisse pauperes in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni quod promisit deus dilectoribus suis. Sic cogitant, qui fidem spiritumq; fidei habent. Quod si pauper quem ex persona spreuerant, istiusmodi erat, in honorauerūt pauperem electum à deo, fide diuitem, & hæredem regni cœlorum, & graue acceptio personarū crimen incurserunt. Absit igitur ut apud fideles uiros, neque in coetibus publicis ubi publica quæpiam sit administratio, sit personarum acceptio, neq; etiam in priuatis. Acceptio siquidem personarum ubiq; est mala. Non quod non sit deferendus honor parentibus, maioribus, prudentibus, in potentia & dignitate constitutis, non externa, sed deum, & dei munera in ipsis considerando. Hæc, nō est acceptio personarum, dicente scriptura: Honora patrem tuum & matrem tuam. Honora personam senis. Et Paulo: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et rursum: Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. At acceptatores personarum forte dicent: Hoc facimus, sic proximo nostro hunc honorem impendimus, quem tanquam nos ipsos diligere debemus. Ad quod respondet Iacobus apostolus, dicens:

14. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, benefacitis. Si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Quicunq; autē totā legem obserua-

Leuit. 19.

Exod. 20.

Ephes. 6.

Leuit. 19.

Roma. 13.

Ibidem.

Cap. II. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

uerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Nō mœcha
beris, dixit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es
transgressor legis.] Legē appellat regalem, non quia ab aliquo mortali rege po-
sita sit; sed à deo ac Christo qui est rex regum, et dominus dominantium. Proinde
lex regalis, & lex diuina, lex euangelica eadem est. Et quid est illam legem perfi-
cere? Est ex fide per charitatem operante, eam adimplere. At fides non externa re-
spicit, sed legem dei uiuam in int̄imis penetralibus cordis per spiritum fidei inscri-
ptam, quæ deum attendendo per charitatem impletur. At qui acceptat personā,
externa respicit, & per charitatem non operatur: quare à lege regali & perfectæ li-
bertatis à lege C H R I S T I redarguitur: perinde atq; olim iudices qui in iudicio
acceptabāt personas, quod in ueteri lege prohibitū est, sic dicēte domino in Deu-
teronomio, id est secunda lege, quæ legis euangelicæ typus est, ad iudices de ihs
qui ingrediuntur ad eos: Audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuiis sit ille
siue peregrinus. Nulla erit distantia personarū: ita paruum audietis ut magnum,
neq; accipietis cuiusquam personam, quia dei iudicium est. Et qui unius mandati,
certe de charitate, transgressor est, et si cætera seruauerit, factus est omniū reus, id
est, condemnabitur, neq; cæterorum obseruatio prodesse poterit ad salutem. Nō
quod quisquam puniatur tanquam qui cōmisit furtum, homicidium, adulteriū,
falsum testimonium, aut quippiam talium, si solum habuerit defectum charitatis
erga proximum, & per charitatem non sit operatus: sed quia (ut lex mandat) non
est operatus ex fide per charitatem: & quia si cætera obseruauit, non, ut oportuit,
obseruauit, quandoquidem charitate non faciente, nullum, ut oportet, obseruet
mandatum. Quare qui charitatem proximi non habet, per quam etiam omnia fi-
delis operatur, nullum, ut oportet, obseruat mandatum, & factus est omniū reus,
perinde atq; qui nō adulteratur, at homicidium committit, transgressor est legis.
Ergo qui in uno solo, charitate uidelicet, transgreditur, cætera secundum appa-
rentiam seruans (sine charitate enim obseruari nō possunt) erit omnium reus. At
nunc quomodo nobis loquendū, & quomodo nobis uiuendum, sequenti sermo-
ne exponit Iacobus apostolus, dicens:

15 Sic loquimini, & sic facite: sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudi-
cium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem
misericordia iudicium. Quid proderit fratres mei, si fidē quis dicat se habere, ope-
ra autem nō habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror
nudi sint, & indigeant uictu quotidiano, dicat autē alius ex uobis illis: Ite in pa-
ce, calefacimini & saturamini: non dederitis autē eis quæ necessaria sunt corpori,
quid proderit? Sic & fides, si nō habet opera, mortua est in semetipsa.] Perfecta
libertas est qua C H R I S T V S nos liberauit & filios dei fecit. Lex libertatis, & per-
fectæ quidem libertatis (ut iam quoq; dictum est) lex C H R I S T I, lex noua, lex gra-
tiæ, lex dilectionis & amoris, quæ maxime cōmendat misericordiam. Euntes (in-

Matth. 9. quid dominus) discite quid est: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Et rursus,

Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et: Estote miseri-

Luce 6. cordes, sicut & pater uester cœlestis misericors est. Et quid mirū: cum misericor-
dia sic fidem quæ per charitatem operatur, comitetur, ut fragrantia, thuris suffitū
qui per ignem excitatur. Misericordia dico erga indigentes, & nos offendentes.
Si diligis certe indigentem, si diligis aut in te aut in re aliqua te offendentem, non
potes non utriq; compati, utriusq; misereri, & (si habes unde possis) etiam opere
testari. Sic deus innumeris beneficijs erga nos, et si offendentes continue, suum te
statur amorem, suamq; misericordiam. Ergo qui uerè sunt fideles, non solum ser-
mones habere debent misericordiam redolētes, sed & facta pietatis & misericor-
dia plea

dia plena. Et in omnibus sic uiuere , tanq; ex ea lege quæ misericordiam præfert, sint iudicium uitæ accepturi, & non iudicium condemnationis & mortis, aduersus quod misericordia præualet, gloria, exultat, & (ut sic dícam) triumphat. Alios qui si iudicio opponere non possint opera misericordiæ, quid expectant à iudice legis libertatis, nisi audire quod & seruus ille immisericors in euāgelio: Serue nequam, nōne oportuit & te misereri cōserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et deinde tradi tortoribus quo usq; uniuersi debiti exoluerit poenas. Quid si nunq; cum non sit tunc tempus satisfactionis? C H R I S T V S qui nos de morte extraxit, et nos à peccatis nostris suo sanguine lauit, omnium maxime misertus est, & quotidie miseretur quandiu uitales spiramus auras: sed iudicium illi sine misericordia fiet, qui non fecerit misericordiam. Quid iuuat quenquam habere fidem, et fidem quidem gratiæ & misericordiæ, nisi opera fidei habeat cum possit? perinde sanè ac si quis pauperem, nudum, algentem, fame pereunte uidens, illi dicat: Vade frater in pace, calesce & saturare. Sanè ut ille sermo nihil iuuat pauperem, quia sermoni desunt opera: sic nec fides nihil operantem. Ut ille sermo inefficax & mortuus est: sic & fides sine operibus cum adest occasio, mortua est. Imò non est, nisi mērito nomine, fides. Sed qui tales sunt, nomine tenus fideles, dicitur satis sibi esse, habere fidem, alij autem habeant opera. Alij contrá: Opera habeo, id mihi satis: alijs fidem habeant. At id non esse posse ostendit Iacobus dicens:

Matth. 18.

16 » Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuā sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus, bene facis, & dæmones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire: ô homo inanis, quoniam fides sine operibus ociosa est? Abraham pater noster, nōne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniā fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videntis quoniam ex operibus iustificat homo, & non ex fide tantum: Similiter & Raab meretrix, nōne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eñciens: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.] Impossibile certe est quempiam fidelem esse, habentem quidem fidem, sed non opera fidei cum se suggerit ex fide per charitatem operandi occasio. Alioqui nomine tenus solum, fidelis esset, non uerè fidelis. Est enim fides, charisma à spiritu dei infusum, & arbor bona. At omnis arbor bona, ex saluatoris sententia, fructus bonos facit. Et contrá: Impossibile est opera bona eum habere, qui fidem nō habeat, & quæ nō sint ex fide. Nam omne quod non est ex fide, peccatum est. Cæterum si fidem non habes, infidelis es & arbor mala: nam caro & uetus homo. At attestante domino, non potest mala arbor fructus bonos facere. Vterq; ergo, & dicens se habere fidem, sed non curare opera, & dicens se habere opera bona, & nō illi curæ esse fidem, seipsum seducit. Sed qui fidē habet, dum tempus adest operandi, opera bona habeat necesse est: & qui bona opera habet, fidem habeat oportet. Proinde inquit Iacobus: Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Sunt enim opera bona, signa fidei. Ostendam, inquit, fidem meam. Sunt & boni fructus, bonam declarantes arborem. Alijs autem opera quæ non sunt ex fide, etiam per dilectionē, sed humanam, qualia opera uirtutum moralium secundum philosophos, etsi bona esse uideantur, reuera bona non sunt. Et habere fidē sine operibus, ut credere duntaxat scripturis, & uerbo fateri, id non iustificat. Alioqui dæmones iustos diceremus. Nam quæ sic credimus, & dæmones credunt, & contremiscunt. Secus forsitan fuerit, si exercēdi opera fidei nondum aduenit tempus, ut in parvulis, quibus sola fides sufficit ad iustitiam, aut

Matth. 7.

Roma. 14.
Matth. 7.

ip̄is artificio spiritus infusa suo tempore manifestanda, aut parentum & susceptorum fides, interim dum in fide adolescent. Et latroni pendeti in cruce, quanquam **Luce 23.** et id dictum fidei opus habuit: Domine memento mei dum ueneris in regnū tuū. Quid hoc: Memento mei, nisi miserere mei? Et cum opere fidei habuit regni uitiae æternæ promissionem: Et Raab meretrix credidit quod deus Hebræorum tra*l*
Iosue 2. diturus erat ip̄is terram illam, & quod ipse solus esset uerus deus. Dominus enim inquit, deus uester, ipse est deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Et non solum hanc fidem habuit, sed & fidei adiecit opera, & liberauit Hebræos. Et haec, & ille ex fide iustificatus est, sed ex fide non infructuosa, uerum quam opus pro fructu uiuam declarauit. Et Abraham, quia credidit, iustificatus: sed non quia fide mortua credidit, sed uiua: non ociosa, sed operosa, quæ semper secum habebat timorē & amorem de. Timorē dico quo deū reuerebatur, & offendere cauebat. Amorē uero, quo ex fide operabatur, supra se & supra omne quod in mundo uel maxime charū habebat. Quod in prompta uoluntate immolandi filium (quem in hoc mundo summopere diligebat) Isaac, manifestauit. Ex operibus igitur Abrahæ elucubravit eius fides, & uiua quidem fides. Sic & uere consummateq; fidelibus elucere debet. Et cui haec fides adest, is continuo iustus est, & iustus & iustificatus, reputante deo huiusmodi fidem ad iustitiam, id est, deo iustificante: alioqui nondū iustificato opus sequens, bonum non esset. Sine fide sanè sic Abraham non fuisset operatus: sed fides operibus eius per dilectionem erga deum cooperabatur. Sic omnium fidelium fides per dilectionē cooperari debet, ut sit fides uiua, perfectaq; atq; consummata. Quam CH R I S T V S I E S V S, fidei autor nobis largiri dignetur, qui fideles suos in se gloria & honore coronat. Cuius patri sit summa gloria, & summus honor per ipsum, & cum ipso, per infinita seculorum secula. Amen.

CAPUT TERTIVM.

ANON.

17



18

OLITE [plures] magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium [sumitis.] In multis enim offendimus omnes. Si quis in uerbo non offendit, hic perfec-
tus est [uir.] Poteſt etiā freno circumducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mittimus, ad consentiendū nobis, omne corpus illorū circumferimus. Et ecce naues cū [magnæ] sint, et àuentis [ualidis minentur:] circumferuntur — autem à [modico] gubernaculo, ubi impetus dirigen-
tis uoluerit. Ita & lingua modicū — quidē membrum est, & [magna exaltat.] Ecce [qua-
ntus] ignis quām magnam syluam incendit. Et lingua ignis est, [uniuersitas] iniuitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam natuitatis no-
stræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura [bestiarum] & uolucrum, & serpētum, & [cæ-
terorum]

multi, πολλοί.

sumemus, λιπόμενα.

Vir potens est freno moderari etiā totū corpus. Ecce etiā. ἀνήρ, μυαρὸς χαλιναγωγῆσαι ηὔδορος σῶμα. ιδού οὐχ. tantæ, τηλικαῦται ſeuis impelluntur, σκληρός ελαυνόμυνα. minimo, ελαχίστη. magna iactat, μεγαλαυχεῖ. modicus, δλίγορ. mundus, δέσμος. + sic, οὐτως.

ſerarum, θηρίωρ.

terorum] domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, [inquietum] malum, plena ueneno mortiferō. In ipsa benedicimus deū & patrē, & in ipsa maledicimus homines qui ad imaginem & similitudinē dei facti sunt. Ex[ipso] ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine[emanat] dulcē & amarā — aquā? Nunquid potest fratres mei fucus[uiuas] facere; aut uitatis fucus? Sic neq[ue] falsa dulcē potest facere aquā. Quis sapiens & [disciplinatus] inter uos? Ostendat ex bona conuersatione[operationem suam] in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelū amarum habetis, & [contentiones sint] in [cordibus] uestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus ueritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens à patre luminū: sed terrena, [ani] malis, diabolica. Vbi enim [zelus] & cōtentio, ibi & [inconstantia] & omne opus prauū. Quæ autem desursum est sapientia, primū quidē [pudica] est, deinde pacifica, [modesta, suadibilis] — bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis [iudicans] sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminaſ faciētibus pacē.

marinorum, ἐνδιώψ.

incoercibile, irretentibile,
ἀπατάχετον.

codem, τὸ αὐτό.

scaturit, βρέστα.

oliua, ἔλαιος.

tullus fons, μία πηγή.

salsa, τελευτὴ ηγῆ.

sciens, επιστήμωρ.

opera sua, τὰ ἔργα αὐτός.

contentionem, ἐριθεῖα.

corde uestro, τὸ καρδικόν
τοῦ μῶρου.animalis, δαιμoniaca, φύσις
καὶ σὰρκον οὐρανοῦ, sic dicta ab
anima et dæmore.

Tid est inuidia.

seditio, ανατασατία.

pudica, casta, ἀγνή.

æqua, et bona, mihi obediens,

ἐπιφῆμος, εὐπεθής.

sine dijudicatione, et, ἀδιάνεγος.

τροπαῖ.

COMMENT. IN CAP. TERTIUM.



A V C O S in singulis quibusq[ue] multitudinibus facere solet deus qui cum eminenti bonitate, docendi obtineant munus: imò ad totius mundi institutionem quatuor solum elegit euangelistas, id est, qui CHRISTI in terris uersati, describerent historiā, & duodecim apostolos, quibus unum solum adiunxit uerè gentium doctorem. Sint ergo pauci in communitatibus qui se dici uelint magistri, iuxta hoc Iacobi præceptum dicentis:

17. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est uir.] Et cum dicit: Nolite plures magistri fieri, duo prohibere uidetur, & doctrinarum multitudinem, & hominis ambitionem. Nam ubi plurimum est eadem doctrina, ut Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Petri, Pauli, Iacobi, & cæterorum apostolorum: non tam plures magistri, quam ab unitate doctrinæ, unus magister, id est doctor, dicendi sunt. Doctor, dico, non quem schola hominum parit, sed spiritus sancti. Illius (ut ait Apostolus) scientia inflat, & huius charitas ædificat. Et in scripturis doctoris nomen quem schola spiritus sancti creat, magis hominibus tribui solet quam magistri nomen. Doctrinam ergo non prohibet Apostolus.

1. Corint. 8:

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

Ius, sed doctrinarum multitudinem: quod accidit quoties aliud docet quam purum syncerumque uerbum dei, pure & synceriter ubi oportet expositum. Et haec omnes disciplinae quae extra uerbum dei sunt, uariae dicuntur & peregrinæ, quas omnes sancti, & Paulus etiam summopere prohibet, cum ad Hebreos ait: Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abducere. Prohibet etiam Iacobus & præminendi in docendo ambitionem & nomen ambitiosum. Et adeo hoc uocabulum magistri ambitionis est, ut dominus noster prohibuerit discipulis suis, ne se magistros nuncuparent. In quo & pariter ambitionem notat scribarum & phariseorum, cum ait apud Matthæum: Amant autem primos reuebitus in cœenis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite uocari Rabbi: unus est enim magister uester, omnes autem uos fratres estis. Et subdit: Nec uocemini magistri, quia magister uester unus est CHRISTVS. Et qui docendi, immo dominandi sub autoritate doctrinæ, cupiditate aguntur, similes scribis & phariseis frequenter uarias peregrinasque doctrinas loco uerbi dei inducunt. Et cum dominantur, alligant onera grauiæ & importabilia, & imponunt in humeros hominum, quæ dígito suo nolunt mouere. Omnia opera sua faciunt, ut uideantur ab omnibus, & reliqua omnia quorum habent dominum nostrum IESUSVM CHRISTVM uerissimum prophetam, testem & iudicem suæ condemnationis. Et cum in multis offendant omnes: ipsi in uerbo, id est doctrina, grauius cæteris offendunt, docentes quæ non oportet, & multitudinem seducentes, detrahunt omnistatui, omni dignitatib, omni personæ cui non bene afficiuntur; inuident aut male uolunt: inobedientes aut male affectos reddunt auditores suos erga potestates, & eos omnes quos deus ipsis præfecit, & quos spiritus CHRISTI ad uerè docendum imbuit. Et iuxta diuinum uerbum: Claudunt regnum dei ante homines, quod cum non intrent, non sinunt uolentes intrare. Non abs re ergo apostolus inhibet multos fieri magistros, quandoquidem errantes, & in errorem mittentes, inflati sensu carnis suæ, ambitiosi, maiorem eas ob res accipiunt condemnationem (id enim magis iudicium designat) & in uerbo magis delinquent. Nam in uerbo doctrinæ quam plurimos ad perditionem trahente. Qui autem in uerbo non delinquent, in uerbo dico doctrinæ, ex ihs qui publicum suscipiunt docendi munus: hi nequaquam uaria sentiendo, multitudine doctrinarum diuisi, non inflati, non ambitiosi, sed perfecti sunt uiri, quorum doctrina desursum est, non uaria, non peregrina, non humana, non terrena, non diabolica. De qua postea facturus est apostolus mentionem. Et prosequitur incommoda lubricæ linguæ ad omne uirus infundendum, quo magis cautos reddat in doctrina eos, qui aliorum suscipiunt instituendorum prouinciam, dicens:

18. Poteſt etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mitimus ad consentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus. Et ecce, naues cum magna sint, & à uentis ualidis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigenſis uoluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam syluam incendit. Et lingua ignis est, uniuersitas iniquitatis. Lingua constituit in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, & uolucrum, & serpentum, et cæterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum dormare potest: Inquietum malum, plena ueneno mortifero. In ipsa benedicimus deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines qui ad imaginem et similitudinem dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.] Freno grandium animalium corpora ad uoluntatem suam homines moderantur, flectentes quocunque uoluerint:

uoluerint; ut uideri promptum est in equis, mulis, bobus, & id genus animalium. Et naues etiam magnae, modico clavo gubernaculoque. Ex omni genere bestiarum, id est uolatilium, & terrestrium, & aquatilium, uidemus ab humana natura nonnulla domari. Quid est igitur quod nullus hominum lingua suam modicum quidem membrum domare potest? Et certe nemo hominum quantum ex sese & ex prima generatione domare potest, secus in secunda, ubi spiritus & gratia dominat. Sed in carnibus lingua tam exiguum membrum, magna exaltat, id est, magnifica trix est & magna factantiae, & maxime in ihs qui arrogant sibi uanam descendit scientiam, & uanum magistri nomen ambient. Et tam modicus ignis (linguam dico maledicam) tam magnam syluam, tantum auditorum agmen, tantam turbam accendit. Est enim huiusmodi lingua, unus mundus, & uniuersitas nequitiae: & non est malum quod ex mala carnalium lingua procedere non possit. Mala lingua prius inflammat ab igne gehennae, id est, a diaboli ueneno primae generationi instillato. Deinde inflamat rotam, id est circulum & uniuersum cursum illius natuitatis, qui secundum spiritum, spiritualiterque uiuendo debebatur spirituali & secundae natuitati. Lingua mala carnalium ac secundum affectus uiuentium hominum, ueneno mortifero plena intolerabile malum est. Ex eadem siquidem lingua benedicunt deum, id est summum & aeternum patrem; et si haec benedictio nihil eos iuuet, cum sit carnalis, & ab arbore mala, qualem deus non requirit, & sint de numero eorum de quibus scriptura dicit: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Vera benedictio cordis est & spiritus, non linguae & carnis: & spiritualis, non carnalis: & nouae creaturae, non ueteris Adae. Et talem carnalium benedictionem ex mala arbore nasci indicium certum est, quod eadem lingua maledicunt ac deuouent homines qui ad imaginem & similitudinem dei facti sunt. Et proinde ex eodem ore non potest procedere reuera benedictio & maledictio, reuera dulce & amarum, reuera bonum & malum, uerum & falsum, uiuificum & mortiferum: sed reuera omnia inde procedentia mala sunt, et si secus uideatur. Quod si assumunt in ore suo uerba dei quae bona, uera & uiuifica sunt, non ab ipsis procedunt, necque illis prosunt, necque deo placent enarrantes illa, dicente domino de talibus in propheta: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamētū meū per os tuū? Tu uero odisti disciplinā, & piecisti sermones meos retrorsum. Quod subinde non ita esse uiuendum, necque ita posse fieri, ratione indicat Iacobus, dicens:

Non oportet fratres mei haec ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest fratres mei ficus uiuas facere: aut uitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens & discipulus inter uos est? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiae.] Non oportet, quia certe ita fieri non potest: multo minus quam fucus, fucus producere possit & uiuas: & uitis, uiuas & fucus: & quam non potest fons ex eodem foramine dulcem aquam & amaram emittere: neque enim salsa aqua potest ex sese dulcem facere. Sic neque malum cor & carnale, bonum & malum producere; neque bonum & spirituale, producere bonum & malum. Sed bonum non potest nisi bonum, nec malum ex se nisi malum. Ergo dices: Spiritualis nunquam peccat. Verum ait, neque potest ex nouitate creaturae, dicente Ioanne: Scimus quod omnis qui natus est ex deo non peccat: sed generatio dei conseruat eum, & malignus non tanget eum. Sed si peccat quandoque: hoc est ex infirmitate ueteris Adae. Quod si uetus Adam & caro dominetur: nouus homo & spiritus non manet. Non enim possunt simul regnare. Sed oportet arborem bonam esse a dominante & regnante spiritu, depressa & domita carne, & multo melius omnino mortificata, cum per spiritum dei extinctus fomes peccati non sentiretur, neque ullam sese exeat.

Esa 29.

Psal. 49.

1. Ioan. 5.

D

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

reret in concupiscentiam. Sed hoc ultimum opus spiritus, rarum. Aut arborem malam esse dominante & regnante carne, spiritu autem nunquam suscepto aut ablatu. Proinde non potest homo simul bona & mala facere, simul esse spiritualis & carnalis. Nam si spiritualis est, dominatur & regnat spiritus & gratia: & si carnalis, dominatur & regnat peccatum & caro. Quod insinuabat dominus, cum dicit Math. 12. cebat pharisæis: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Nemo certe non immutatus, potest utramque. Quis ergo sapiens & disciplinatus inter homines: sapiens dico, et disciplinatus sapientia & dei disciplina, quae est per uerbum dei & mortificationem spiritus, non sapientia & disciplina carnis, quae est per uerbum hominum & mortifications hominum, quas poenitentias dicunt? Is profecto qui ex bona conuersatione, quae nimis est spiritualis & secundum spiritum, alioqui quomodo bona ostendit opera sua bona, ut ex bona arbore bonos fructus, in mansuetudine sapientiae diuinæ uerbi diuinæque doctrinæ. Et tales se præstare debet, cum ad id munus habent aliorum doctores, instructores atque doctores: non autem tales, quales continuo subiungit Iacobus, dicens:

20. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus uestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus ueritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens à patre lumen, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiēs, plena misericordia, et fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Frustratus autem iustitia, in pace seminatur, facientibus pacem.] Zelus amarus, iniuria est cum odio & cupiditate nocendi. Et qui hoc modo docent, uoluntate haberi magistri, prodit apostolus unde sit, & quae sit eorum sapientia: siquidem non de sursum est descendens à patre lumen, sed terrena est, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Nam hæc à carnis formite sunt, à quo nullum bonum. Etenim ut stabilitas & constantia, spiritum & gratiam sequitur: ita instabilitas & inconstantia carnem & peccatum. Qualem ergo sapientiam habere debent qui alios debent instituere, magistri nomine digni, et si hoc nomen refugiant in terris: Sapientia profecto quae desursum est, quae descendit à patre lumen, quae non est terrena sed cœlestis, non animalis, sed spiritualis, non dæmoniaca sed diuina, casta & pura cum primis: subinde pacifica, clemens, æquaque & bona, bonis audiens, plena misericordia & fructibus bonis, sine disceptatione & cōtentione, sine fictione & hypocrisi. Et quae hæc alia nisi doctrina euangelica, sensu spiritus CHRISTI, non humano annunciat? quae cum talis sit: seminat in pace fructum, id est opera iustitiae, quae fructus spiritus Paulus appellat. Iustitia dico fidei, nouæ legis, et plane diuinæ in pacificorum animis. Quae enim contentiosa est, non seminat in pace, sed in turbulentia: neque fructum iustitiae dei, sed potius inanem gloriam iustitiae carnis & uanitatum mundi, quas qui sequuntur CHRISTVS illis gratis mortuus est, non intelligētibus in sola fide CHRISTI & fructu eius esse iustitiam, neque in pacificorum animis, sed in alterationū, cōtentionum, genealogiarumque (quas prohibet Paulus) amatoribus. Illam igitur desursum sapientiam, amore inquit euangelium dominus IESVS, qui est absoluta sapientia nobis & omnibus ubique gentium, alios docendi munus suscipientibus, pure & sincere largiri dignetur: ut tam populus uerè institutus, quam ipsi uere insti tuentes, patrem domini nostri, & ipsum in spiritu et ueritate laudent, glorifcent, magnificant in perpetuas æternitates. Amen.

Gal. 5. Tit. 3.

CAPVT QVARTVM.

- 21 **N**DE bella et [lites] in uobis: Nonne † ex [concupiscētīs] uestris quæ militant in membris uestris: Concupiscitis, et nō habetis: [occiditis] & zelatis, & non potestis adipisci. Litigatis & belligeratis, — & non habetis, [propter quod] non postulatis. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentijs uestris
- 22 [insumatis.] † Adulteri, nescitis q̄a amicitia huius mundi [inimica] est dei? Quicunque ergo uoluerit amicus esse [seculi] huius,] inimicus dei cōstituitur. An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad inuidiā [concupiscit] spiritus qui [habitat] in uobis? Maio rem autem dat gratiā, — propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.
- 23 Subditi ergo estote deo: resistite autem diabolo,
- 24 & fugiet à uobis. [Appropiate] deo, & ap-
- 25 propinquabit uobis. Emundate manus peccato-
- 26 res, & purificate corda duplices animo. [Miseri-
- estote,] & lugete, & plorate: risus uester in luctum
- 27 conuertatur, & gaudium in mōrem. Humilia-
- 28 mini in conspectu domini, & exaltabit uos. No-
- lite [detrahere alterutrū] fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, nō es fact or legis, sed iudex. Vnus — enim est legislator — & iudex, qui potest [perdere & libera]. Tu — autē
- 29 quis es qui iudicas [proximum] tuū? [Ecce] nūc qui dicitis: Hodie [aut crastino] ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi — [quidē] annum, † & mer- cabimur & lucrū faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim uita uestra? Vapor est ad modicū [parens, & deinceps exterminabitur.] Pro eo ut dicatis: Si dominus uoluerit, &: Si uixerimus,
- 30 faciemus hoc aut illud. Nūc autem [exultatis] in superbis uestris. Omnis exultatio talis maligna est,
- 31 Scienti igitur bonum facere, & non facienti; pec- catum est illi.

ANNOT.

pugnæ, μάχαι. & infra.
† hinc, ἐντεῦθεν. uolu-

ptatibus, τῷ μέσῳ οὐώρ,

& infra,
inuidetis, φιλονεῖτε.

id est, propterea quod.

expendatis, δαπανήσητε.
† & adulteræ, ήγει μοι-

χαλίδες. inimici-

tia, εχθρα.

mundi, τὸ κόσμος.

desiderat, ut absente re, επε-

ποθῇ. habitauit, κατώ

κκοσμο.

appropinquate, εγγίζετε.

fatigamini, affligimini, τα-

λαιπωρήσατε.

obloqui inuicem, καταλα-

λεῖτε αλλήλωρ, & infra.

seruare et perdere, σῶσαι

ηγει απολέσαι. alte-

rum, τῷ επερο. age,

cia, κάγε. & cras, ηγει

αὔριο. unum, ενα.

apparens, & deinde dispa-

rens, φουνομένη, ἐπετάχ-

θε αφανίζομένη.

gloriamini, καυχάδε,

& infra.

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

COMMENT. IN CAPVT QVARTVM.

Prouer. 3.



ACTENVS & de ijs qui uias sapientiae dei pacificas, sicut scriptum est: Viæ illius, uiae pulchræ: & omnes semitæ illius pacificæ, & pacis euangelium uere scientes docere debent, & de ijs qui eas ignorantes, alios instituere præsumunt, & nomine magistrorum uane gloriantur. Nunc autem ad omnes, & ad eos qui præsunt, et ad eos qui subsunt, communem agit sermonem. Quia quales præceptores, tales & discipulos esse necesse est. Si tumidi, contentioſi, zelo inuidiæ pleni, & uoluptuarij, & prorsus secundum carnem ambulantes; & talis euadet populus qui eos audiet ut olim euadebat, eorumq; formabatur exemplo. Ad huiusmodi ergo, pariter & qui male instituunt & qui male instituuntur, suum Iacobus apostolus dirigit sermonem, dicens:

21 » Vnde bella et lites in uobis? Nonne ex concupiscentijs uestris, quæ militant in membris uestris? Concupiscitis, & non habetis, occiditis & zelatis, & non potestis adipisci. Litigatis & belligeratis, & non habetis, propterea quod non postulatis. Petitis, & nō accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentijs uestris infumatis.] Omnia mala homini christiano ex concupiscentijs oriuntur, & nō tam christiano quam dicto christiano: immo uix is dici potest christianus, in cuius membris concupiscentiae regnant. Christianus siquidē à CHRISTO nominatur, quod

Rom. 8. CHRISTI sit, spiritumq; eius habeat. Nam ut inquit Paulus Si quis spiritu CHRISTI non habet, is non est eius. Et qui talis est, uitam eius profitetur, & illi uiuendo est similis. Qui igitur fit ut christiano concupiscentiae militent, regnent, tyrannidemq; obtineant in membris? Certe si quæ concupiscentiae ex ueteri Adam non plene mortificato interdum surgunt Christiano, non militant, non uincunt; sed illico à spiritu CHRISTI reprimunt captiuæ, ut Hiebusæ olim inter Israëlitæ. Nemus ergo CHRISTO similis esse potest, qui spiritu CHRISTI non uiuit. At si concupiscentiae & uoluptates in membris sic uiuunt, militant, & aduersus spiritu bella gerunt ut illum extrudant: tunc male uictrix caro, in omne facinus male exultat, & pro christianis reddit non christianos, & pro pacificis CHRISTI christomachos & uere antichristos. Qui concupiscunt, & quod cōcupiscunt habere nō possunt. Qui occidunt & æmulant, & id nō adipiscunt propter quod cædes committunt, & inuidia torquentur. Pugnant & belligerant, & id non habent propter quod bella miscent: quia non à deo petunt, à quo id erat postulandum, nō illo modo quærendum. Postulant, & non adipiscuntur: propterea quod non ut par est id efficiunt, postulantes ab eo cuius est largiri. Deus enim pauperē facit & ditat, subleuat & humiliat. Et ideo si quicquam ab eo petunt, non accipiunt: quia male petunt. Nam spiritus fidei bonus orator apud deum est: sensus autem carnis malus: neque gratia cuius oportet, petunt: sed ad hoc ipsum uidelicet, ut in uoluptatibus suis expendant. Hæc omnia facit stulta caro, spiritu CHRISTI destituta. At uir christianus qui per spiritu CHRISTI mortificatus est, qui per eundem cum CHRISTO crucifixit carnem suam cum uitijs & concupiscentijs: non concupiscit, non occidit, non zelat, non pugnat, non litigat, nō belligerat. Si qua re illi opus est, ab eo in spiritu fidei petit qui libere dat & non improperat, & accipit quantum uitæ spiritus quam dei dono sortitus est, competit. Et hæc concupiscentiarum mortificatio est, quam præstat secunda generatio ei qui uult iugiter, caute, & secundum spiritum ambulare. Et est dei donum, quod homines suscipere debent, ut in eis operetur illam carnis mortificationem, nō repellere, aut resistere: dei inquam donum est, ne quis humanis uiribus se id obtinere posse confidat, ut iejunijs, afflictionibus, aut quibusuis macerationibus. Etsi hæc, dum spiritu impellente, non sensu carnis

I. Regum 2.

carnis fiunt, non officiant, imò cooperentur potius ad illam mortificationē, dum carni, quae spiritui mortificanti concupiscentias nostras reluctatur, uires huiusce modi afflictionibus utcunq; eneruantur. Hinc sancta desideria habemus, ut sicut supplices sunt oculi seruorum ad manus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ *Psal. 122.* ad manus dominæ suæ: ita magis iugis attentione oculi nostri sint ad dominū, donec misereatur nostri. Donum enim hoc perfectum est & desursum, descendens à patre lumen: quo & Petrus, & Paulus, & cæteri apostoli in afflictionibus donati fuerunt, & quicunq; uere spirituales per uarias tentationes & afflictiones probati euaserunt. Et ad id summopere niti debet homo, siue blandiant' prospeta, siue flagellent aduersa: ut à deo obtineat quo uere sit, et uere dī possit christianus. Nunc autem ad eos specialius qui uoluptatibus defluentes propter illecebras uoluptatesq; mundi, siue uiri, siue mulieres, fornicantur à deo, alteri adhærentes, & ipsi sunt uere adulteri & adulteræ; siquidem spiritu; ad eos inquam, cōnectit apostolus suum sermonem, dicens:]

22. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est deo? Quicunq; ergo uoluerit amicus esse seculi huius inimicus dei constituit? An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad inuidiā concupiscit spiritus qui habitat in uobis? Maiorē autē dat gratiā, propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiā.] Amicitia huius seculi, carnalis est: deus sp̄ritus est. Fœda est & immunda; deus puritas & sanctitas ipsa. Ideo ipsa inimica est deo: & amicus mundi, inimicus dei. An scriptura inaniter dicat: Sp̄iritus dei qui per regenerationis gratiam habitavit in uobis, concupiscit ad inuidiā: Deus em ex Exodo, cognoscitur deus zelotes. In triūdet sanè nos alteri iungit: cum ipse magis alijs omnibus nobis præstet gratiam. Et id inuidere: est sic eum et sp̄iritū eius nos uehemēter amare, ut nolit nos alteri quām sibi ipsi adhærere. Sed qui ipsi adhærent? Quibus dat maiorē ad adhærendum sibi, quām mundus, & omnia alia dare possint suis adhæretibus, suisq; amatoribus; Certe humilibus sp̄iritu, sicut scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnia dat nobis dominus, cœlestia, terrestria, suum solum, suum sp̄iritum, & multiformē gratiā, ut illi hæreamus. Mundus autē, & malignus, nihil nobis dant, sed data auferunt. Miserrimus ergo est, qui deo non adhæret, sed mundo & maligno. Vt inā iugiter omnes fixū cordi haberent, quod propheta de utrīsq; canit: Quia ecce, qui elongant se abs te, peribunt: perdes omnes qui fornicantur abs te. Mihi autē adhære deo bonum est. Bonum ergo, adhærendo deo, sequamur. Et perditionem quam assequimur, cum ab eo elōgamur, fuūiamus. Deinde apostolus dat aliquot documenta, quorum primum est:

23. Subditū estote deo, resistite autem diabolo, & fugiet à uobis.] Qui humiliter se submittunt deo, iustitiam eius facere parati, ij dominantur peccato, & sunt subiecti deo, & serui iustitiae. Et hos malignus nūc afflictionibus, nunc concupiscentiarum ueteris hominis reliqujs, nūc temptationum suggestionibus retrahere molilitur: cui uiriliter in fide, nō proprijs uiribus, sed auxilio sp̄iritus fisi, eius cui se per fidem subiecerunt, resistere debent. Et ob subjectionem, & dei susceptam tutelā, ac sp̄iritus potentiam, grallator malignus aufugiet; haud secus ac lupus ouem reluctantem præsens habentem pastoris auxilium, illico fugit. At quantumcunque reluctaretur ouis, nisi adesset pastoris tutela, nisi præsens auxilium, neq; lupus rapax fugeret, necq; ouis misera euaderet. Ergo primum est ut simus subiecti deo, & cum hoc reluctemur aduersario, nunquam illi assentientes: non nostro, sed pastoris fisi auxilio. Et ipse qui pastor est uere bonus, à spirituali nos lupo liberabit, & non nos ex nobisip̄sis (id enim nobis impossibile) sed ipse effugabit malignum, ut non ouis exesse, sed pastor grassantē in oues lupum. Secundum:

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

24 " Appropinicate deo, & appropinquabit uobis.] Resistere maligno, est ab eo elongari & auxilio appropinquare: & hoc nimurum est deo appropinquare, qui est cuiusq; fidelis auxilium, defensio, protectio. Et certe cum ouis persequente lupo ad pastoris auxilium confugit: appropinquit illi festinanter pastor, & eam ab omni periculo liberat. Quid igitur faciet pastor ille, qui solus bonus est: qui nunquam oues suas omnes non uidet, & nihil non potest? Conuertet sanè eas ad se, & uires appropinquandi suggesteret. Si apertis oculis fugis tenebras, luminis appropinquas, & sol oculis tuis se ingerit. Sic te aperi domino, & ipse se tibi insinuabit, tecq; clementibus misericordiae suæ oculis intuebitur, infundetq; se tibi. Et hoc est te ad ipsum qui nusquam non est appropinquare & ipsum ad te. Tertium:

25 " Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.] Peccatores iij sunt, qui maligno nō restiterunt. Et quid est peccatores manus suas emundare, nisi sordidam conscientiam ab operibus malis lauare? At quomodo lauabit, nisi per fidem resipiscendo, & se ad fontem misericordiarum de cōmissis dolendo, gemendo, tristando: ad quod, quam primum fides in promissis beneficiorum

CHRISTI adest unicæ salutis nostræ, sp̄ritus CHRISTI illos adiuuat. Si quidem (ut Paulus inquit) Quæ secundum deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Duplici animo (quos Iacobus uno uocabulo διπλύχος, quasi dicas duplicitates uocat) sunt iij omnes, qui præse ferunt speciem bonorum & iustum hominum in ore & secundum faciem, aliud gestantes in corde. Et hi sunt falsoles, iniusti & hypocritæ. Hi cor unum intus gerunt, & aliud secundum appetitiam foris pandunt, suntq; dupliciti corde. Ideo corda purificare debent, ut quales foris uideri uolunt, tales sint intus (siquidem cor internum plenū est dolo, fraude, iniustitia, & omni spurcitia) ut possint posthac cor nouum, purificatum, simplex, & minime simulatum possidere. Ut enim aurum adulteratum, multiplex, & impurum, nisi purificetur, reprobatur ab hominibus: sic duplices animo, nisi resipiscant, & purificantur, reprobantur a deo. At quomodo purificabuntur, nisi per gratiam domini nostri IESU CHRISTI, per iustitiam fidei, amplectendo pure & sincere doctrinam euangelij, quæ docente Paulo est in salutem omni credenti.

Rom. I. Sed quid est, quod his etiam temporibus, non modo animo duplices, sed & triples, & quadruples, & (ut sic dicam) millesuplices, & qui in omnes se se nouerunt transformare formas: inueniuntur qui etiam iustitiae fidei, & euāgelio aperte obluctantur. Hi nihilominus cor tam uariū tamq; difficile ad purificandum habentes, si se fide conuertunt ad eum, cui omnia possibilia sunt, qui pro ipsis mortuus est, qui nouit & amat imaginem suam reformari, purificabuntur; sed id quidē sine fide impossibile est. Quartum:

26 " Miseri estote, & lugete, & plorate: risus uester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrem.] Ad peccatores & duplices animo hoc documentum pertinet: qui rident & gaudent in hoc mundo, necq; aliam putant felicitatem, quam huius mundi querere solatia. Hic hos admonet potius rerū mundanarum miseriā, quam huiusmodi felicitatem, & luctum, fletum, & mœrem, quam risum mundi fluxum, & uanum gaudium querere & amplecti. Nam scriptum est: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Et contraria: Vae uobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Risus & gaudio in hoc mundo, luctus & ploratus in altero promittitur: & fletui in hoc mundo, risus & gaudium in altero: & miseriæ huius mundi, felicitas alterius. Proinde bene præcipit Iacobus amatoribus huius mundi, miseriā, luctum, ploratum, & mœrem potius in eo eligendum esse, quam huiusmodi felicitatem, risum, & gaudium. Nam illa, et si ad momentū tristia dum propter deum, aut quia ab ipsis offendit, aut in dies à tam multis tam grauiter offenditur,

Luce 6. Nam scriptum est: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Et contraria: Vae uobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Risus & gaudio in hoc mundo, luctus & ploratus in altero promittitur: & fletui in hoc mundo, risus & gaudium in altero: & miseriæ huius mundi, felicitas alterius. Proinde bene præcipit Iacobus amatoribus huius mundi, miseriā, luctum, ploratum, & mœrem potius in eo eligendum esse, quam huiusmodi felicitatem, risum, & gaudium. Nam illa, et si ad momentū tristia dum propter deum, aut quia ab ipsis offendit, aut in dies à tam multis tam grauiter offenditur,

ditur, aut ad ipsum portando crucem imitandum uoluntarie eliguntur: felicitas, laetitia, & gaudium sempiternum sequuntur. Hæc autem momentanea felicia, laeta, & iucunda; miseria perpetua, luctus fletusque, & tormentum perpetuum sequitur. At uoluntarie eligere mundi miseriam, luctum, ploratum, mœrorem, carnales nequaquam possunt: nisi adepto fidei dono, quod solum præbet dei uerbum, & doctrinæ euangelicæ thesaurus. Fides CHRISTI ad omnia bona est uia. Ego sum, inquit dominus, uia, ueritas, & uita. Ergo nitantur omnes peccatores quantumcumque sint peccatores, ad pesci fidem: & fidem adeptos ab eo qui dat affluenter, & non improperat, qui diues est in omnes qui inuocant illum, hæc omnia sequentur, & in laetitia spiritus, sancti apostoli documentum implebit. in modo CHRISTI dei. Quintum:

27. Humiliamini in conspectu dei, & exaltabit uos.] Hoc ad omnes pertinet. Nam ad humilem, & cum timore & tremore tantæ maiestatis uerba dei suscipientem, respicit deus. Et hæc humilitas non secundum corpus & exteriora intelligitur, & si ea cum oportet non desit, sed secundum cor & interiorem hominem. Humiles enim corde diligit deus. Discite, inquit, à me, quia mītis sum, & humiliis corde. Alioqui si sola exterior adest, hypocrisis est. Et quod uere humiles à deo exaltentur, scriptum etiam est: Qui se humiliat, exaltabitur. Et quæ hæc exaltatio, nisi ad uitam sempiternam, ad regnum & conspectum regis æterni, ad totius gloriæ cunctum? Et hæc gratia, hæc humilitas, donum à deo necessarium est, ut sine hoc dono, neque iustus ad uitæ regnum eleuetur, neque peccator iustificetur. Nam & pro Christo qui euehuntur aut iustificantur, humilitas etiam CHRISTI, quæ omnem aliam superat & excedit in immensum, intercedit, in qua tu quantumcumque sis humilius: plus confide quam in tua. Quid dico plus confide: in modo si uere spiritu ageris, prorsus in illa, in tua nihil confide. Verus enim & spiritualis christianus, ex se nihil, sed totus ex solo deo pendet. Hoc nosse, dei donum est: nec illud quidem exiguum, sed profunda humilitatis & charismatum uia. Sextum:

28. Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator & iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum?] Detractores, obloquutores, susurtones, & criminatores aliorū illi sunt, qui diuinā lege prohibentur. Non, inquit, eris criminator aut susurro in populus. Et huiusmodi obloquutores & detractores, non raro effingunt aut ementiri criminā, quæ alijs impingunt, aut damnant etiam nonnunquam quæ lex non damnat, in hoc legi detrahentes, quasi non sit bona, & eam iudicantes quasi sit mala, male uelata. Huiusmodi detractores non oportet imitari christianos, & eorum exemplo infici: sed longe procul esse à detractione studio, qui omnia ex fide per charitatem operari debent, cui detractio contraria est, & quæ à deo Psal. 49. condemnantur, dicente: Sedes aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalū. Hoc fecisti & tacui. Et hi detractores maxime legis sunt transgressores. Nam quomodo legē facerent qui ei detrahunt, qui eam iudicant, quasi non sanxerit sanctienda, sed quæ non sanctienda? Qui etiam (et si uidetur interdum bonorum operum habere zelū) pessima superbia laborant, adeo ut deī sibi officiū usurpent, adeo temerarij ut de omnibus iudicare ausint, & priuatam suoque sensu conceptam præferre sententiā, siue priuatae sint personæ, siue magistratus, siue sancta & ordinata etiam autoritate diuina: cum hæc omnia ad unū deum spectent, cuius est iudicare, absoluere, condemnare. Qui etiam dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Vnus enim est legislator & iudex omnium, Luce 6.

Ioan. 14.

Matth. 11.

Matth. 23.

Leuit. 19.

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

qui per leges maxime suam iudicat, & per eos quibus publica commissa est ipsius iudicaria potestas. Et nunquid qui priuate aut publice detrahit, iudicat & cōdemnat fratrem suum? Quis ille est, cuius autoritate fungitur ut iudicet aut condemnaret? Quis illi dedit hanc iudicandi & condemnandi potestatem? Omnis igit̄ de tractio, obloquitio, subsursum & calumnia omnibus prohibita est, & etiam iudicium & cōdemnatio: nisi quibus horum facta est publica potestas, sed hæc deo legi, & ihs qui legem administrant, relinquenda sunt. Septimum:

29. Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid erit in crastina. Quæ est enim uita uestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur) pro eo ut dicatis: Si dominus uoluerit, &: Si uixerimus faciemus hoc aut illud.) Septimum documentum: Nihil nobis de ihs quæ diuinæ prouidentiæ subsunt, temere iudicandum, qualia sunt futura omnia quæ dei prouidentia & dispositione currunt. Etenim si prohibemur iudicare, & temere diffinire de ihs quæ aliorum sunt hominum: nonne multo magis de ihs quæ ad solū deū pertinent, & quæ diuinæ sunt dispositionis? Si quis ita loquit: Ibo illuc, uerbi causa, Lugdunum, ubi toto anno mercabor, & lucro facto, in domum reuertar: nonne quod prouidentiæ diuinæ est iudicat? Et cum nemo possit sibi polliceri diē crastinum, audet sibi annos polliceri; Ideo de talibus cum humilitate loquentes, dicamus: Si dominus uoluerit, si uitam largietur, aut quippiā simile quod planè pietatem & reuerentiam erga uniuersam illam prouidentiā, quæ deus est, redoleat, faciemus hoc aut aut illud. Quemadmodum Paulus ad Philippenses: Confido autem in domino, quoniam & ipse ueniam ad uos cito. Alioqui timeat temerarius quicunq; prouidentiæ præsumptor, ne cum stulto illo præsumptore qui dicebat:

Luce 12. Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibere, epulare; hac terribili uoce feriatur: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quanquam & spirituales & sincere christiani, si proponunt quicquam se cum dei adiutorio facturos, id ex fide & charitate proponunt. Qualia parum esse uidentur mercari & lucrum facere: quibus etiā ne de crastino quidem anxie cogitare præceptum est. Si tamen quippiam tale moliuntur, charitate mouente, non lucri cupiditate id moliri debent. Octauum:

30. Nunc autem exultatis in superbijs uestris. Omnis exultatio talis maligna est. **I. Corin. 13.** Fideles, fidei spiritu reguntur & charitate. Charitas autem patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non gaudet super iniuriam. Octauum ergo hoc documentum, nō ad fideles, sed ad uocandos ad fidem pertinet, quod est: In nullo quidem malo esse gloriandum. Quia omnis talis gloriantio, mala est. Id enim dæmoniorum est & principis eorum qui regnat super filios superbiam. Et quid in superbijs & erroribus esset gloriandum, cum nec in operibus quidem bonis sit gloriandum, maxime si opus ipsum aut nosipso attendimus, ne opus ipsum uana gloria euacuetur? Sed si quis gloriantur (ut scriptum est) in domino, id est, attento deo qui operandi gratiam præstat, glorietur. Subditur itaq; aliud documentum, quod fideles respicit; cum reuera soli fideles sciant operari bonum. Nonum:

Hiere. 9. & **1. Corint. 1.** Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.) De scientia quæ est diuinæ legis, & maxime legis gratiæ cognitio sermo est. Per quam qui scit bonum facere, cum adeat occasio, continenter operandum est bonum: alioqui omisso illi peccatum est, & grande quidem peccatum. Nam talentum domini creditum ad operandum, retinet ociosum, & fodit pecuniam domini sui. Et etiam scriptum est: Seruus qui cognovit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit voluntatem

uoluntatem eius, plagiis uapulabit multis. Et rursus: Omnis autem cui multum datū est, multum quāretur ab eo. Scientes igitur per gratiam & donum dei tantum bonum, ne simus esse ociosum, sed imitemur naturam summe boni qui se propagat & communicat, qui & est largitor omnis boni, & ei ex donis eius seruientes, laudem demus, & gloriam, & gratiarum actionē patri æterno per IESVM CHRISTVM in immensa seculorum secula. Amen.

CAPVT QVINTVM.



- 32 GITE nunc diuites, plorate ululantibus in [miserijs] uestris quæ adueniēt uobis. Diuitiae uestræ putrefactæ sunt, & uestimeta uestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum uestrum eruginauit: & erugo eorum in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizasti — uobis ira in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones uestras quæ fraudata est à uobis, clamat; & [clamor] eorum in aures domini sabaoth introiuit. [Epulati estis] super terram, & [in luxurijs] enutristis corda uestra. In die [occisionis] [adduxisti], & occidisti iustum: & non restitut uobis. [Patientes igitur estote] fratres usq; ad aduentum domini. Ecce agricola expectat preciosum fructū terræ, patienter ferēs donec accipiat [temporaneum] & serotinū. Patientes igitur estote & uos, & confirmate corda uestra: quoniam aduentus domini [appropinquabit]. Nolite ingemiscere fratres in alterius trum, ut nō iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres — exitus mali & longanimitatis [& laboris & patientiae] prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui [sustinuerunt. Sufferrant] Iob audistis, & finem domini uidistis, quoniam [misericors] est dominus et miserator. Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neq; per terram, neque aliud quodcumq; iuramentum. Sit autem [sermo ue-] 36 ster: est, est: non, non:] ut non [sub iudicio] decidatis. [Tristatur] autē aliquis uestrum? oret, 37 [Aequo animo? & psallat.]

ANNOT.

afflictionibus, Ταλαιπωρίᾳ.

clamores, αἰβοῖ.

deliciati estis, ἐτρυφήσατε.

lasciuistis, ἐπωταλήσατε.

uictime, iugulationis, σφαγῆς

addixisti, condemnasti, κατεδικάσατε.

longanimes estote, μακροθυμήσατε οὖν,

& infra.

pluuiam matutinam, νετόρη

πτώμαρη.

appropinquauit, ἥψικε.

mei, μς.

afflictionis et patientie, φύκα κοπαθείας ηγέρθη μακροδυμίας.

expectant patientia, τοὺς ὑπέμενοντας τὴν ὑπεμονήν.

multum misericors, πλούτωλαγχνος.

uestrum etiam, etiam: non non: οὐ μάτι, τὸν ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὐ, οὐ.

in simulationē, εἰς ὑπόκρισιν.

affligitur, κακοταθεῖ.

equo, bono animo est, quis psal lat, εὐθυμεῖ τις; Ταλαιπωρίῳ.

Infirmatur quis in uobis inducat presbyteros ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterum [peccata] ueltra, & orate pro inuicem ut saluemini. Multum enim ualet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis uobis passibilis, & oratione orauit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis [ex] uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum: scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatum ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, & copperit multitudinem peccatorum.

COMMENT. IN CAP. QUINTVM.



VPERIORIBVS documentis positis, deplorationem facit calamitas diuitium huius mundi, quorum sors in terris, et nulla in cœlis, gaudium præsentis uitæ momentaneum, & lametum futuræ mortis perpetuum, quo ipsos ex contemplatione futuræ miseriae, allicit ad resipiscendū & ad ueras per fidem IESU CHRISTI attrahat diuitias, in cœlo collocatas, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. & ait:

52. Agite nunc diuites, plorate, ululant in miserijs uestris quæ aduenient uobis. Diuitiae uestræ putrefactæ sunt, & uestimenta uestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum uestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizastis uobis ira in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones uestras, quæ fraudata est à uobis, clamat, & clamor eorum in aure domini sabaoth introiuit. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda uestra. In die occisionis addixistis & occidistis iustum, & non restitut uobis.] Quamvis hæc deploratio omnes huius mundi diuites mouere debet ad terrorem, ne creditis bonis abutentes, suppliciū luant sempiternum: præcipue tamen de diuitibus Iudeis & maioribus eorum, ad quos scribebat Iacobus apostolus, hic habetur sermo: quia eos taxat qui iustum, id est dominum gloriæ morti addixerunt: qui quales fuerint, hic depinxit. Cōgregaverant enim sibi diuitias, quæ nunc putrefactæ sunt. Vestimentis utebant preciosis, quæ à tineis & blattis erosa sunt. Cumulauerant aurum & argentum, tum in superfluitate uasorum, tum moneta percussum, quod æruginis erosit uitiū. Et ærugo illa erit in testimonium insanæ cupiditatis eorum: & augebit supplicium eorum tanquam ignis torrens, torquens & crucians. Quia sibi thesaurizauerunt indignationem diuinam usque in sempiternum. Mestores & operarios suos sua mercede fraudarunt: & nunc merces operarijs fraude substracta ab ipsis, uindictam clamat ad dominum, & clamor eius introiuit in aures dei sabaoth, dei exercitum, dei fortitudinum atque omnipotentis, & exauditus est ad uindictam & augmentum supplicij eorum. Deliciabantur super terram, luxuriabantur, & in

ANNOT.

egrotant, & eriget, τὸν κακὸν νοτα, καὶ ἐγέρει. peccata admiserit, ἀμαρτίας ἡ πεποικώς, delicta, errata, lapsus, παραπόματα, sanemini, ἀθύτε, efficax, intus operans, agitare spiritu, ἐνεργημένη, similiter affectibus obnoxium nobis, δυοιοπάθης νομῆς, germinavit, protulit, ἔθλαστος. in, inter, επ.

opperiet, καλύψει.

& in delictis seculi nutriebat corda sua: nunc torquetur, tristans, & in hoc summe miseri quod in morte, mortis finem non inueniunt. Et ad cumulum malorum, in die victimæ, parvaeues magni sabbati, in die paschæ, iustum regem gloriae, Me-siah suum morti addixerunt, condemnauerunt & occiderunt. Qui pro mansuetu-dine sua non restitit eis, qui poterat in momento, uno uerbo omnes perdere. Sed sicut prædixerat propheta: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tendente se obmutuit, & non aperuit os suum. Omundi diuites, qui propter caducas diuitias obliuiscimini fidem & diuitias æternas, resipiscite. Illi affimi-lemi, nec uelitis in hoc mundo diuites fieri: sed potius eligentes paupertatem spiri-tus, siue mundanae fortunæ adsint, siue desint, suspiretis ad futuras diuitias, quæ spiritualibus promittuntur. Nec longa expectatione in hoc desiderio tabescat ani-mus, quæ etiam nulla longa uideri debet: cum omne tempus sit punctum ad id quod est æternum. Quapropter ad quasdam exhortationes & admonitiones Iacobus apostolus transit: quæ magis ad pauperes spiritu & uerè fideles, quam ad miseros diuites quam diu tales sunt spectant. Quarum prima est de longanimitate: & est huiusmodi:

33 " Patientes igitur estote fratres usque ad aduentum domini. Ecce agricola expe-ctat preciosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & uos; & confirmate corda uestra, quoniam ad-uentus domini appropinquauit.] μακροδυνατία, id est longanimitas, de qua hic lo-quitur Iacobus, est longa expectatio animi cum patientia promissionum C H R I S T I, quæ nulla mora frangitur, nulla afflictione emolitur, nulla impatiētia remit-titur, quin potius indies firmae & inualescit: quia indies magis atque magis appro-pinquamus ad id, quod (si spiritu Christi ducimur) desideramus. Et quid à uere christiano desideratur: Esse cum C H R I S T O, qui est æternū bonū, et omne bonū: cuius aduentus indies propinquior, & qui indies cum gratia eius si uolumus (etsi occultus & uelatus) aduenit nobis sacramentaliter, id est, sub sacramentali signo in ueritate sumendus. Et parum est indies ipsum sacramentaliter uidere: nisi spiritu & fide uideatur. Et consummatio hæc est si sic sumatur, siquidē non dixit: Videte hoc, sed, accipite. At cum primum huius mortalis uitæ limen egredimur, nobis aduenit apertus, reuelatus: & (ut sic dicam) facie ad faciem conspicuus. Tunc (inquit Paulus) cognoscā sicut & cognitus sum. Tunc metemus æterna bona, quo-rum simula cra in fide, spe & charitate tanquam flosculi quidem, præcesserunt bo-na opera. Nunquid decet nos minus esse longanimes & patientes in expectatione incomprehensibilium & ineffabilium bonorum, quam agricolam terrenorū, qui patienter expectat preciosum fructum terræ, nec mora tabescit animo, sed aequo animo patienterque fert, donec accipiat imbre matutinum & uespertinum? Nequaquam: quanto cœlestia & æterna bona præstantiora sunt terrenis & momen-taneis. Confirmemus ergo adiutū spiritu, spiritu gratiæ, spiritu C H R I S T I, corda nostra longanimitate & patientia: quia reuera C H R I S T U S dominus pro foribus astat. Sed qui longanimes sunt, qui & finem laborum, quæ est merces gratiæ dei & misericordiæ, desiderant, nequaquam ingemiscere debent in alios qui præripiuntur, & citius ad finem laborum, et ad mercedem gratiæ infinitæ bonitatis dei euocant. Ideo secundā admonitionē diuinus præco adducit Iacobus apostolus.

1. Corint. 13.

34 Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam assistit.] Qui ingemiscunt inuicem ob uarias mundi pressuras, persequu-tiones, afflictiones, angustias, ærumnas: denique mortes quæ etiam prijs euenire so-lent: propemodum contra deum murmurant, & incident, ut filii Israël in deserto in iudicium dei, & tanto magis si in eos qui ad portum uitæ citius suscipiuntur inge-

miserent. Quandoquidem iudex non longe est: sed minus & pro foribus astat, nos cum ipsis recepturus. Et quia id quodammodo illorum felicitati inuidere es-
set: perinde ac si agricola in alterum ingemiseret quod præcociorem deus illi de-
disset frugem, prioris meteret, nonne quodam modo illi inuidet? In bonis igit
non est inuidē ingemiscendū: sed cū mala potius obueniunt, quæ secū diuinam tra-
hant offensam: & quanto maiorē & insigniorē, tanto quoq; magis ingemiscēdū.
Quod bifariā contingere potest. Primo, ex charitate, ratione eius qui offenditur.
Secundo, ratione eius qui offendit ob dei offensam (non aut quia bona aut boni præ-
cipiunt) & hoc magis solitariū & apud se est ingemiscere, quam ob infortunia &
aduersa inuidē & inter se ingemiscere. Nam hoc modo ingemiscere, non est uere
patientū & longanimorū, qui omnia siue prospera siue aduersa cum gaudio susci-
piunt, tanquam de manu dei nec quicquam aliud attendūt quam deū, neq; eos quicquam
costristat, nisi sola dei offensa et peccatum. Sic certe limitari oportet longanimitatē
& patientiā prophetarum, & ipsius Iob, qui omnes dura & aduersa passi sunt, &
maxime omniū patientiam CHRISTI, cuius plurimi eorū ad quos scribebat Ia-
cobus apostolus finem afflictionis & laboris, & exemplaris patientiæ plenissime
uiderant. Tertiam ergo ipse adiungit admonitionem, exemplum uidelicet maio-
rum, & maxime CHRISTI esse attendendum, dicens:

35 Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patien-
tiæ prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui su-
stinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem domini uidistis: quoniam miseri-
coris est dominus & miserator.] Omnes qui uere patienter quascunq; tribula-
tiones, afflictiones, & poenas sustinent, uoluntarie & cum gaudio spiritus expe-
ctantes usq; ad finē, dicimus beatos. Et quanto magis sustinent, tanto magis bea-
tos: quia multum misericors est dominus, qui eos in misericordia & miserationi-
bus coronat, & uitam pro tribulationum sufferentia uitæ exiguae durationis, tri-
Matth. 5. buit sempiternā. Beati estis (inquit dominus) cum maledixerint uobis homines,
& persequuti uos fuerint, & dixerint omne malū aduersum uos, mentientes, pro-
pter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Sic enim
persequuti sunt prophetas qui fuerūt ante uos. Deinde mandati domini quod ad
familiarem & quotidianam maxime loquutionem pertinet; memores facit eos ad
quos scribit Iacobus, & per eos nos omnes. Et haec est quarta admonitio:

36 " Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram,
neq; aliud quodcumq; iuramentū. Sit autem sermo uester, est, est; non, non, ut non
Ibidem. sub iudicio decidatis.] Dominus apud Matthæum: Audistis (inquit) quia dictū
est antiquis: Non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego aut dico
uobis non iurare omnino, neq; per cœlum: quia thronus dei est, neq; per terram:
quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni
regis: neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album facere
aut nigrum. In priuatis negocijis non modo turpe, sed peccatum est miscere quod-
cumq; iuramentum. Quandoquidem uiro christiano à deo prohibitū est, et si om-
nes spirituales essemus, & pure christiani, publicis etiā iudicijis non egeremus ad
publica præstanta iuramenta, dicente Paulo: Iam quidem omnino delictū est in
uobis, quod iudicia habetis inter uos. Et si Iudæis olim id esset permisum, etiam
extra iudicium, modo non peierarent nomē domini. Sic iurauit David Aegyptio
seruo Amalechitarum, qui eum perduxit ad cuneum hostium. 1. Reg. xx. Et si no-
bis non licet iurare per terram, quia scabellum pedum domini est: multo minus li-
cet admiscere iuramento corpus domini, quia templum totius diuinitatis est. Ta-
les uix putauerim esse christianos, sed ne quidem, nisi dissuescant, nisi resipiscant
uere

vere posse dici. Si nō per caput nostrum, quia nec ullius quidem capilli habemus potestatem, tanto minus per nostræ redēptionis prēcium sanguinē CHRISTI, quam siquidem redēptionē solus deus homo, diuīno suo secreto facere potuit. O q̄ tales procul sunt à uero christianismo, à doctrina euangelica, quæ sola facit uere modestos, & spiritu CHRISTI plenos, secundum quam sermo noster sit, & vñ vñ, neq; tñv, oū, id est, affirmantibus sit hoc, etiam, etiam: abnuentibus autem, non, non. Et uis scire, cum aliud adiūcitur, ut dei nomen, aut alicuius uirtutis eius, aut aliquid opus eius, ut cœlum, ut corpus, ut sanguis, unde adiūcitur? A diabolo qui semper contra ordinationem & uoluntatem diuīnā inducit homines, & maxi me qui secundum carnem ambulant, qui fidem, qui sp̄ritum dei nesciūt, & quantumcunq; etiam potest enormiter, dicente domino: Quod amplius est, à maligno est. Et nō sine causa dixisse uidetur apostolus: Ante omnia, ut innuat h̄c loquendi modum maxime deo displicentem, ex quo iudicium & condemnationē incur- runt qui eiusmodi sunt. Nec ab re, nam cōuenit magis sp̄ritui blasphemiae, id est magis sp̄ritui immundo, quām hominibus: ut & iam aperte in quibuscā energumenis uisum est. Et ideo homines qui sic blasphemant, & execrabiliter deierant, diabolo ac sp̄ritui blasphemiae, aut ihs qui iam ab eo occupati sunt se conformes reddūt. Et adeo enormia sunt quæ pleriq; perditionis hominum blasphemāt, & enormiter euomunt: ut omnino tam execrabilem repræsentandi horrōrem omnīs charta refugiat. Et id opto, ut bonus sermonis odor FRANCISCI hoc nomine pri- mi, hac nostra tempestate Francorum regis, ad posteros omneis transeat nobiles & subditos, & etiam ad exteris, qui à iuramento omniq; inhonesto uerbo mode- stissime abstinet, & in hoc regiū specimen decorumq; exhibet, quod nimirum de- cet christianissimum regem. Sed nunc ad quītam transeamus monitionem:

37 Tristatur autē aliquis uestrum: oret.] Cum affligimur, cum molestamur animo, cum tristitia cor angitur, non tam cum ab externis & manifestis causis id pro uenit, cui opponenda patientia, quām cum ab internis & latentibus, ut substra- ctione gratiæ, aut tentatione, iuxta apostoli dei monitionem, huic tristitiae oratio est opponēda, ne acedia illa uicti, penitior pateat maligno ingressus. Exemplum habemus dominum, qui ad mortē usq; tristis in orto orauit: & iussit ut tristes apostoli orarent ne intrarent in temptationem. Quia ut uicino lupo terretur ouis, trista- tur & angitur, & nescit unde id sit: imò & absentia pastoris terretur, et si non adsit lupus: sic uicina maligni præsentia terremur, tristamur, & angimur animo, & unde id sit nescimus, & etiā gratiæ fauorisq; diuini absentia. Ac oratio conuertit nos ad pastorem, cuius beneficio lupus ille effugatur, & serenitas, alacritas, & solita lætitia menti reddit: substracta etiam gratia reparatur. Quæ certe non tam substra- hitur quām occultatur: ut pia mater non tam à filio se substrahit quām occultat, ut à paruulo attonito requiratur. Et maxime omniū tunc caueamus animo uolutare nostros cogitatus, & deorsum aspicere: sed iugiter sursum ad eum qui nouit & potest à tali tristitia eripere, quia tunc nobiscū sumus, id est, nobisipsis relicti, neq; ex nobis possimus arcere lupum, aut gratiæ sentire præsentiam, sed magis inde cacopathiam & afflictionem illā maligni sustinemus & angimur. Sexta monitio:

* 38 Aequo animo est: psallat.] Cum quispiam nulla anxietate animi premitur, sed læta, serena, & alaci est mente, psalmos diuinasq; laudes, beneficiorum con- fessiones, gratiarum actiones deo sp̄ritu & mente psallat. Psallam, inquit aposto- lus sp̄ritu, psallam & mente: hoc est, lætantium spiritualium, & eorum qui aequo alaciq; sunt animo, opus. Psallere nanc, est letæ mentis opus. Etsi laudes & can- tus cordis in sp̄ritu sint præcipui, Cantantes (ait Paulus) & psallentes in cordibus nestrī domino: nō tamen lætis uoce & externo cantu diuinas depromere laudes

1. Corint. 14.

Ephes. 5.

prohiberi putauerim, aut musicis instrumentis spiritualem lætitiam hymnidicis melis insinuare, qui hoc munus habent, ut olim David & prophetæ, dum sensuū, non præsertim quærant oblectamen, sed solius mentis ad deum eleuationem, & in solo deo solamen, et si sensus suo oblectamine non frauderet. Septima monitio:

39 " Infirmatur quis in uobis: inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, " ungentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alle- " uiabit eum dominus. Et si in peccatis sit, remittentur ei.] Admonuit quid moe- stis & animo afflictis, quid lœtis fidelibus faciendum: nunc quid corpore male af- fectis maleq; ualentibus faciendum sit, etiam docet, ut scilicet presbyteros, id est seniores ecclesiæ euocent qui pro se orent, & spirituali oleo, id est dei misericor- dia primū consolentur & leniant, neq; corporale oleum in signum spiritualis un- cionis fidentibus in misericordia dei adhiberi prohibet, imo monet sequēdo cer- te priorem apostolorum ritum, quem Marcus de apostolis loquens, describit di-

Marci 6. cens: Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa en- bant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur. Et hoc adhuc arbitror sie- bat illa tempestate: qua fidei feruor permanebat & deuotio spiritus. Et exunctio- ne illa, infirmitatis suæ leuamē & alleuiationē, s̄aþe fide et perfecta in C H R I S T O fiducia, qui sanat omnes languores nostros, & cuius nomen est oleū effusum, sen- tiebant qui ægrotabāt, & oratio fidei multos sanitati restituebat, si peccatis etiam tenebantur astricti: fides & orantium & infirmorum apud dei clementiam remis- sionem obtinebat peccatorum. Nunc autem quām paucæ sint fidei ostēdunt in- firmi: qui quām possunt tardidissime, aut nunquam aduocant seniores ecclesiæ ad consilium & consolationem animæ ad fidem roborandam contra malignorū in- fultus, qui inualescentibus morbis, maxime insurgere solent. Sed ubi desperatur de præsentis uitæ salute: tunc loco seniorum ecclesiæ, quos intelligit apostolus ui- ros plenos spiritu & fide, uerbum dei & salutis euangelium pure annunciantes, aduocantur presbyteri qualescunq; (sic em uocant eos qui sacramēta ministrant) & tunc etiam inunguntur protinus morituri, & nihil prorsus fit eorum aut per- parum quæ monet hic apostolus. Et adeo etiam corpore sani, ægrotant spiritu, ut nihil adeo horreāt, quām medicos spiritus, & multo magis cum ægrotant. Et hoc quia amant uitam carnis; de ea autem quæ spiritus est, & quæ aut in delicijs inde- ficientibus aut supplicijs manet æterna, nihil aut parum curant. Sic stultorum & nunc pure carnalium mentes, insania ueſat. O tempora: O mores. Qui miseri- cors est & dīues in omnes, nunc mundum sua misericordia, ad spiritum innouet, & ad fidei & doctrinæ euangelicæ gratiam. Octaua monitio:

40 " Confitemini ergo alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem, ut salue- mini.] Omnes habemus peccata, siue fideles simus, siue infideles (Nam dicente Ioanne: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est) Hoc tamen interest, quod infidelibus peccata semper im- putantur, fidelibus autem dominante fide & spiritu nō imputantur. Secus autem non dominante fide & gratia, sed carnis infirmitate, peccato & concupiscētia in- terdū præualente, Tales enim fideles infirmi sunt. Et fideles omnes siue firmi sint, siue infirmi, debent inuicē se fateri peccatores, & egere misericordia dei, & orare pro inuicem ut salutem per eum qui est omnium salus, I E S U M C H R I S T U M , & ab eo consequantur qui omnium operatus est salutem. Qui hociplum credunt, et in hoc plenissime confidunt, debent pro se inuicē orare, & omnibus; ut qui firmi- sunt fide nunquam excidāt, nunquam carne aut aliqua ulla mala potestate uincan- tur: qui infirmi, ut ad fidei spiritum & gratiam resurgent: qui infideles, ut à dia- bolī laqueis resipiscant, & ad gratiam fidei conuertantur, ut cum fidelibus laudet & glo-

& glorificat atitorem fidei & uitæ, dominū nostrū IESVM CHRISTVM, qui eos & omnes fideles à morte liberauit, & in uitam afferuit æternam. Fiebat etiā olim inuicem mutua offensarum confessio, & fraterna reconciliatio, sequendo euangelicam doctrinam, mandante domino, ut prius reconciliemur fratri, quam nos nostrā deo præsentemus. Vade, inquit, prius reconciliari fratri tuo, & tunc uenies offeres munus tuum. Et alibi: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illū, & si pœnitentiā egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicēs: Pœnitet me, dimitte illi. O magna miseratio dei, si dimitis fratri in fide uerbi dei, & in fide petit, dimissum est illi. Hoc enim opus fidei & charitatis esse oportet. Et talis olim erat inter fideles confessio. Nunc autem remissa fide, aut prorsus in plurimis extincta, quam CHRISTVS IESVS per suū uerbum & suum spiritum exuscitet, est alius confessionis peccatorum modus, quem etiam misericordia sua acceptet, & parum nunc fit aut quod hic Iacobus monet, aut quod CHRISTVS ipse præcipit. Et certum est quod olim in antiqua lege confessio peccatorum deo fiebat ad legis iustificationem, dicēte domino: Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus phariseus, & alter publicanus. Et subditur: Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlū leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Quid hæc signant: Percutiebat pectus suum, & : Deus propitius esto mihi peccatori, nisi reatus confessionem? Et parabola de filio prodigo. Pater peccauit in cœlum et coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus. Et Azarias apud Danielem, manifesta deo confessionem facit, dicens: Peccauimus enim, & inique egimus recedentes à te: delinquimus in omnibus, & præcepta tua nō audiuius nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset. Et Esdras deo confitetur peccata pro populo. Noua lex addidit etiā ad inuicem et ad fratrem confiteri peccata. Verum nisi primum confitearis deo (quandoquidem in fide esse debet, fides autem respicit deum & uerbum eius) arbitror huiusmodi ad hominem cōfessionem, siue ut olim, siue ut nunc fit, parum ualitaram. Ergo qui confitetur peccata, præsertim intendat deo confiteri. Vnde fit, ut duplex in sacris literis inueniāt confessio. Prima: Confitemur corde deo cum Azaria, Esdra, Publicano, & filio prodigo. Secunda: Confitemur peccata ad inuicem, & offensum fratrem pariter & offendit nobis reconciliemus. Et in signum reconciliationis oremus pro inuicem. In locum secundæ (ut dictum iam est) modus ille confitendorum peccatorū qui nūc est successit, qui exerceri solitus est, cum (ut uerisimile est) homines plurimum à fide lapsi, ad inuicem offendentes & offensi, more prisco non facerent confessiones. Utinam sic in fide & charitate ad inuicem uiueremus, ut hæc ad deum sufficeret quotidiana confessio: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Benedictus deus in cuius fide, beneficio & satisfactione CHRISTI nobis remittuntur peccata. Nona monitio:

Multū enim ualet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit ut nō plueret super terrā, & non pluit annos tres & mens sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluviā, & terra dedit fructum suum.] Spiritualis hominis est, ex secreta inspiratione spiritu & ex corde orare. Et hæc oratio (ut sic dicā) intus operans siue intus acta fortis, & admodū ualida et efficax est. Quod exēplo Heliæ monstrat apostolus Iacobus, quod scribitur 3. Regū 17. Potest etiā exemplo esse Moses, orans contra bellantē Amalech, & eleuans manus, signum CHRISTI in ligno extēsi, in quo uictus est is, cuius figura erat Amalech. Potest & Petrus ē uinculis & claustris carceris eductus. Oratio autem, inquit, sine intermissione siebat ab ecclesia ad deum pro ipso. Sed nūquid iustorum solū

Matth. 5.

Luce 17.

Luce 18.

Luce 19.

Daniel. 3.

Matth. 6.

Exod. 17.

Act. 82.

est orare? Nequaquam; et si maxime cum aguntur, fortes sunt; & admodum efficaces orationes. Nec etiam si exaudiendus non es, cessare debes ab oratione: nam oratio debetur domino & a digno, & indigno. Oravit publicanus, & exauditus est. Et quomodo etiam prius dixisset Iacobus: Orate pro inuicem, ὅπως οἰδητε, ut sanemini: si solum iustorum esset orare deum, & non etiam peccatorum qui infirmi sunt; & egerit spiritualis sanitatis. Licit enim indignus sis qui preces fundas; ille tamen dignus est quem omnis creatura precetur. Et dæmones precati sunt apud Marcū, & aliquatenus a domino exauditi sunt. Non ergo indignitatē tuam, non te ipsum: sed illius dignitatem, sed ipsum attende. Et te quantum potes imo quantum dat tibi gratiae (nam nihil ex te sine gratia potes) te ipsum precando humili. Et quicunq; sis, deum precare. Et etiam si potes, non ex te, sed ex deo deprecare, mēte spiritu dei acta. Hoc em dέκοτις εὐεγγέλου designare uidet, ut tum nihil agas, sed agaris, ut Elias, ut Eliseus, & prophetæ, & apostoli. Sed hoc fortasse rarū dei munus est. Decima monitio:

42. Fratres mei, si quis ex uobis errauerit a ueritate, & conuerterit quis eum: scire debet quoniam qui cōuerti fecerit peccatorem ab errore uiae suae, saluabit animā eius a morte, & operit multitudinem peccatorum.] Quamplurimis modis a ueritate errare possumus: sed maxime si a fide desciscimus, aut ab euangelicæ doctrinæ puritate. In qua re magnopere nitendum est, in fide & charitate fratrem liberare ab errore, quem si liberas, & ad uiam uitæ reducis, id est, gratia dei in te: non solum illum liberas, & animā eius a peccatis, a morte saluas, id est salutis causa es, sed tuam, & operis multitudinē peccatorū. Quid enim ex nobis ipsis sumus, nisi ingens pelagus peccatorum? Sic enim hoc charitatis opus in fratrem deo est acceptum. Quod quidē tam sanctæ & tam è deo acceptæ charitatis munus & officium, & nobis in alios, & alijs in nos largiri dignet C H R I S T V S dominus, totius charitatis largitor & infusor, inhabitator, & in nobis operator. Cui cum aeterno patre & spiritu sancto omnis honor, gloria, & gratiarumactio in sempiterna secula. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM IACOBI CAP.
tholicam, ad dei gloriam & honorem, finis.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

CAPUT PRIMUM.



Etrus apostolus I E S V C H R I S T I, electis aduenis dispersio-
nis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ,
Asiae, & Bithyniæ, secundū præ-
scientiam dei patris in sanctifica-
tionem spiritus, in obedientiam

ANNOT.

Peregrinis, incolis, πρόσωποις.

Prænotio, προγνώσις.
in sanctificatione, per, επαγγελμα.

• & aspersionem sanguinis I E S V C H R I S T I, gra-
tia uobis & pax multiplicetur. Benedictus deus
& pater domini nostri I E S V C H R I S T I, qui se-
cundum misericordiam suam magnam regenerauit
nos in